

3


328

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

Бонніграйт = Oberd. №. 3017.  
- 3 а 5 фтс = Breuer

VI - 56  
Charissimo  
Frater  
charissimus  
Christus  
HBC

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА



## LECTORI S.

Puscum hoc author, & sibi &  
alii injuriis, Anglus Anglice  
scriperat; Eamque non pauco-  
rum esse querelam intellexeram. Fecit  
enim tulus solus Latine locutus, ut  
complures qui cum lingua preium quo-  
que ejusdem nescirent, legendi & intel-  
ligendi copiam flagitarent. Hoc itaque,  
tum ut horum desideriis satisfaccerem,  
tum ne quod ab omnibus legi dignum est,  
angustis vernaculae linguae finibus coar-  
ctaretur, Latinum facere conatus sum.  
Quoniam vero sermonis elegantiam La-  
tinis auribus me reddere posse desperavi,  
saltē Authoris sententiam summa qua  
potui fide ut redderem, mihi anniten-  
dum judicavi; quod & me affectum  
fiero. Tuum erit (Lector candide) quod  
tua causa factum est, boni consulere.  
Vale.

IOHANN. MERRYVVEATHER.

A 2 AV-



3  
328.

## A U T H O R I E C T O R I S.

**C**upidum esse vitæ oportet, qui universo jam expirante mundo vivere cuperet, mortisque proterve impatientem, qui in communi hoc omnium fato mori recularet: Nisi omnes passim præli injurias, & gracilis tem ubique tyrannila quererentur, non mihi quod cum eodem expostularem defuisse. Verum enim vero quandoquidem in ea tandem tempora recidimus, quibus non sine summo præstantissimi hujus inventi abusu, sanctum Majestatis nomen violatum, honorem Parliamenti, depravatum, & à Prælo utriusque scripta, corrupta, anticipata, & falso impressa vidimus; ridiculus profecto sim, si privatus querar; nec tam injuriarum capaces videantur mei loci & conditionis homines, quam ad easdem vindicandas impares. **E**nīm vero nisi importuna amicorum petitio, veritas violata, & officium tum huic, tum illi à me debitum flagitassent, injuriam banc per quandam ingenii ignaviam usque passurus eram, donec tempus quo alias Veritatem in lucem vindicat, mihi hoc quicquid est oblivioni tradendo satisfecisset. **Q**uoniam vero è Typographiis prodeunt, non tantum manifesto falsa, sed vera etiam falso & mendose edita; Hic mihi

## A D L E C T O R E M.

mibi ipſi non deesse oportere judicavi. **U**ntunc enim deplorata sint illa prioris generis mala; posteriora tamen, ut quibus mederi nobis in manu sit, non negligenda videntur. Hanc adeo ob causam, opusculum hoc perfecto tandem & destinato exemplari in publicum emitto, quod prius surreptitium & misere mutilatum prodierat.

Hoc cum quibusdam aliis consimilibus fateor me ante septennium exercitationis, & animi causa vacuis & subcisis horis conscripsi: Quod uni communicatum ad plures transit, & saepius mendose transcriptum corruptissimo tandem exemplari ad prælum pervenit. Illud qui perlegerit multa propria & peculiariter de me ipso dicta observare poterit; unde facile perspiciet non publico destinatum fuisse. Quæcumque enim in eo continentur, partim privatae exercitationis gratia, partim ne memoriae excederent, conscriperam; nequam ut alis normam & religionis Canones præscriberem: Ideoque nec aliis profuturum est, si quid forte cum privato cuiuspiam sensu congruat, nec obfuturum, si discordet. Quæ erat autem loci in quo scriperam incommoditas, nullius profecto boni libri beneficio, jam inde ex quo primum calamum chartæ admoveram, usus fui, quo

vel ingenii conatibus opitulari, vel memoriae laboranti succurrere poteram. Vnde accidisse credo, ut non pauci lapsus ab aliis observati fuerint, pauciores tamen quam ipse suspicarer: Multi jam anni sunt, quod hoc primum composueram, idque tanquam summam quidem corum quæ tunc animo conceperam, non tanquam legem immutabilem maturiori judicio imponendam; adeoque fieri potest, ut non paucæ quæ tunc animo satis arrisere, hodierno judicio non ita placeant. Multa Rhetorice, multa tropice dicuntur, prout scilicet animi sensa commodissime quæque exprimere videbantur: Ideoque flexibili quodam, & leniori sensu interpretanda sunt, non ad severam Rationis normam exigenda. Quæcunque denique in hoc continentur, proiectiori judicio cessura sunt, & quemadmodum ostendi, ea tantum patrocinium nostrum habitura, quæ doctissimorum viorum calculus approbaverit. Quarum considerationum favorem stipulatus, quod privatum erat, in publicum prodire jussi, & veritatem ejus ingenuo cuique lectori dijudicandam committo.

THOMAS BROVNE.

In

7  
In Religionem Medici Latinitate donataam.

**V**igus iners, Medicos violati Numinis audet  
Injimulare reos; ac si illis omnia casus  
Volveret, & cæco rapevet Fortuna tumultu.  
Fabula cum Manes essent; & particula auræ,  
Divina in tenues demum vanesceret auras.  
Hactenus ista rudes tenuit sentientia mentes  
De Medicis, tales vix unquam Phlegra Gigantes  
Vidit, nubiferum glacialis Pelion Offa  
Cum tulit; inservitque caput mirantibus astris:  
Pro Domino confusa timet Naturæ; rubentes  
Flexit equos Phœbus, pigri Sarraca Bœtæ,  
Oceani vetito cupiunt se tingere fluctu.  
Hos tandem absolvit liber hic, causamque perorat.  
IMMENSI tument aliorum hydropæ LIBELLI  
Ipsi quis pluteisque gemunt, & præla satiscunt.  
Pellibus exquis liber hic arctatur, at uno  
Multæ caput folio: procul hinc vesica tumensque  
Syrra; nec indignum quid fert promissor hiatu.  
Hic animam munit pavidam, quo interrita possit  
Litora fati morbum, mortemque subire.  
Arduarimari vetat hic mysteria, pennis  
Ingeni fīsum; & subtilis acumine mentis:  
Succumbat ratio fidei, & captiva quiescat.  
Catera quid memorem quis est liber iste refertus  
Vndique; sed lingua latuit Thesaurus in una:  
Tandem, Religio cultu donata Latino  
Florescit: geminaque illustris luce resulget.  
Sic Adamas quamvis nativo polleat igne;  
Scintillæ vibrans teneras, & semina flammæ:  
Clarior, infertus rutilanti fulgurat auro;  
Et radio meliore micat pellitque tenebras.

A 4

In

*In Eandem.*

Ingenuus saveat lector, (procul ite prophani)  
Hic Enchiridion Religionis habes.  
Vindicat à letho liber hic animam; meritoque  
Interitus expers, ipse futurus erit.  
Corporis una salus, Medici scopus esse putatur:  
Huic mens sit sano ut corpore sana tibi.  
Edita Relligio fuerat prius Anglica: tandem  
Ecce REFORMATA est, atque LATINA simul.

REGINALDVS BOKENHAM.

In Religionem Medici Anglicè scriptam à  
D. D. Brovne, & Latinitate donatam  
à D. Ioh. Merryweather,

Amico summo.

H<sup>V</sup>nc, quicunque legunt collaudant, Brovne, libellum:  
Abdita seu fidei referas mysteria sanctæ;  
Sive amplectendum nobis proponis Amorem;  
Seu tua de multis obiter sententia fertur,  
(Quali hæc judicio, quali exprimis omnia penna!)  
Ipsi Theologi mirantur; ubique triumphant  
Iure Machaonii, queis jam, te vindice, constat,  
Quod non cura animæ minor est, quam corporis; inde  
Temerito laus ampla manet, qui talia scripsi.  
Sed tibi, qui Latio donasti talia cultu,  
Amplior en tanto debetur, gloria, quanto  
Arctior Aufonio sermone Britannicus extat.

Hæc amicitiæ ergo

T. B. D. A.



# RELIGIO MEDICI.

## PARS PRIMA.

### *Sectio prima.*

**A**D Religionem meam quod attinet, licet verisimilia quædam concurrant, ex quibus fieri possit conjectura mihi nullam prorsus esse, cujusmodi sunt; Hoc vitæ institutum quod secutus sum; isto plerumque nomine male audiens; studiorum meorum genius; Morumque & sermonum in iis quæ ad Religionem spectant indifferenia, dum nec has partes tueri, nec illas impugnare consueverim, ea studii, & contentionis acritate, qua plerique fere uti solent: Hæc tamen omnia nequaquam obstant, quo minus honorificum Christiani nomen,

D 5 id-

RELIGIO

idque jure optimo mihi ausim vindicare. Non quod Baptisterio tantum, aut Institutioni, aut Regioni ei, quæ me peperit, hunc titulum acceptum feram; quasi aut eorum, quæ à parentibus incauta adhuc mente imbiberam, ex educatione confirmatio accesserit; aut communis quodam assensu Religionem patriam amplexus fuerim: Sed quod maturiori jam ætate, & provectioni iudicio, spectatis exploratisque singulis, ipsa Gratia principia, Rationisque leges ut huic uni me addicerem persuaserint. Nec tamen hic communis ejus Charitatis, quam omnes humanitati debemus, adeo immemorem me Zelus reddidit, ut non commiseratione potius, quam odio Turcas & infideles, nedium Iudeos prosequi vélim: beatoque hoc cognomine frui contentus non infesto in eos animo sum, qui titulum tam gloriosum respuant.

Sect.

MEDICI

ii

Sect. 2.

Quia autem hodie Generalius est Christiani nomen, quam ut fidem nostram exprimat, sicut enim terrarum, sic & Religionum Geographia quædam est, nec tantum legibus suis ac finibus distinguuntur regiones, sed doctrinæ etiam fideique suæ Canonibus circumscribuntur: strictius itaque ut agam, Religionem illam Reformatam, de novo ad incudem redactam profiteor, in qua præter nomen solum nihil displicet. Fidem illam profiteor, quam Christus servator docuit, quam disseminarunt Apostoli, quæ à Patribus authoritatem, à Martyribus confirmationem accepit. Quæ tamen sinistris Principiū consiliis, Episcoporum ambitione & avaritia, & fatali temporum corruptione ita tentata, & labefactata fuerat, ita à nativa sua pulchritudine reciderat, ut ad primævam suam integratatem

A 6

recu-

recuperandam temporum horum amica & diligent opera indigeret. Fortuitus autem ille occasionum concursus , rationum rei gerendæ tenuitas , eorumque qui opus tam bonum primi moliti sunt, humilis & abjecta conditio, quæ apud Adversarios nostros risum & contemptum pariunt , mihi quidem admiracionem excitant: eadem ista Christo olim , & discipulis ejus insolentes Ethnici objectarunt.

Se<sup>t</sup>t. 3.

*Ripicula* **N**ec tamen in vecordem illum pertinacium hominum gregem meinet adjungo , qui labefactatum navigium malunt Fortunæ committere, quam in Navale de integro refaciendum deducere : qui malunt omnia promiscue retinere , quam quicquam inde diminuere, & pertinaciter esse , qui sunt , quam qui olim fuerunt , ita ut iisdem ex Dimetro repugnant. Ab illis, non con-

tra

tra illos Reformationē instituimus ; omissis enim convitiis illis , & verborum contumeliis, quæ quidem affectus & stomachum inter nos discernunt , non causam ; Idem utrisque nomen est , eadem fides, idem necessarium principiorum systema nobis cum illis commune. Mihī itaque Religio non est, eorum familiaritate & consuetudine uti , illorum Ecclesiā adire, quoties nostræ præsto non sunt, adeoque una , aut cum illis, aut pro illis, vota facere. Ex innumeris istis sacræ paginæ locis, quibus Populo Israëlitico edicitur, ne se Idolorum templis polluant nullam adhuc satis validam consequentiam deductam vidi. Christiani enim omnes sumus , nec ejusmodi aliqua execranda impietate disjuncti , quæ aut preces nostras, aut locum in quo factæ sunt, contaminare valeat , aut quæ efficere possit , ut animus sibi constans rectique tenax creatorem suum

ruum vel ubivis gentium aderare nequeat, nemus in locis istis qui cultui ejus didicati sunt: in quibus si cultus, quem hi præstiterint Divinum animum offensiorem reddat, meus forte placaturus est: si ille locum prophanet, fieri potest, ut meus expiet. Aqua Lustralis & Crucifixa (res vulgo formidabiles) nec judicio meo imponunt nec Religionem pervertunt. Ad superstitionem (quam vocat Zelus mendosus) procliviori me esse fateor. Vita sane & conversatione severus sum, moribus tristis, aliquando etiam morosior, in sacris vero, & genu, & pilei, & manus urbanitas, placet, una cum reliquis omnibus gestibus, qui pietatem internam aut exprimant, aut adaugeant. Proprium mihi brachium citius, quam ædem sacram violaturus sum, quam Sancti alicujus aut martyris monumentum dejecturus. Ad Crucis, aut Crucifixæ

con-

conspicuum à pileo facile temperare possum, nec tamen sic quin mihi servator meus animum subeat. Nec inutiles religiose peregrinantur labores ridere possum, nec miserandam Monachorū conditionem contemnero: Licet enim in his quædam præpostere fiant, aliquid tamen in se pietatis habent. \* Nolam Ave-Marianam nunquam nisi levato ad Cœlum animo audire possum; nec mihi persuadere, ideo quia isti in una circumstantia erraverint, mihi licere in omnibus cessare, stupido nimis silentio, & contemptu. Quem itaque illi cultum huic exhibuerunt, ego Deo, cultusque ejus errorem precibus meis rite institutis correxii. In processione solenni quandoque abundantius flevi, cum qui forte una aderant contradicendi studio & præ-

\* Qua ad horas 6, & 12, singulis diebus pulsata, monetur unusquisque sive domi, sive foris in platis fuerit, ut ad precandum se conseruat: quæ processus vulgo ad Mariam Virginem diriguntur.

judicio cæci immodico risu diffuerent. Sunt proculdubio & in Græcis, & Romanis, & Africis Ecclesiis ritus quidam & Cæremoniæ, quicis, qui zelo saniori sunt, recte & Christiane uti sciunt, quæ tamen nos improbamus, non quidem tanquam in se mala; sed quod vulgus hominum, quod quasi limis intuetur veritatis faciem, levelsque & instabiles animos, qui non ita angustum recti tramitem servare norunt, quin huc illuc in extrema vagabundi ferantur, illecebribus suis in superstitionem pertrahant.

## Sect. 4.

**V**ARII fuere Reformatores, varia itidem Reformationum genera: Quas gentes singulæ ratione quadam propria & peculiari: prout cujusque coimmodum locique Genius ferebat, administrarunt: aliæ quidem morose & severe, aliæ vero tranquille & moderate, non vi di-  
stra-

strahentes, sed placide dividentes Reim communē, relicta interim honesta quadam Reconciliationis possibilitate, quam animi pacis studiosi desiderant, nec prorsus desperant aliquando cum tempore & bono Deo effectuumiri: Quanquam si quis extermorum Antipathiam, affectuumque & opinionum contrarietatem animo reputat, eadem prope spe Polorum Cælestium unionem expectare poterit.

## Sect. 5.

**S**ED ut proprii adhuc differentia scernar, circuloque arctiori immet definiam: Non alia est Ecclesia, quæ æque per omnia cum Iudicio meo quadrat, nec cuius articuli, constitutiones, & Consuetudines, æque rectæ rationi consentaneæ, æque ad pietatis meæ sensum accommodatae videantur, ac ea, cuius Fidei nomen dedi, Ecclesia Anglicana. Cujus quidem Fidei sacra-  
men-

mentum dixi, adeoque & ejus Articulis subscribere, & constitutiones observare dupli nomine teneor. Alios Articulos ut fide, aliasve Constitutiones obedientia ut amplectar, nemo adduxerit. His quæcunque insuper tanquam adiaphora accesserint, ea ad judicii proprii præceptum, & pro privato pietatis meæ genio recipio, aut repudio; nec hoc crediturus quod Lutherus affirmaverit, nec illud repudiaturus, quod improbaverit Calvinus. Nec in universum displicet Concilium Tridentinum, nec mihi in totum approbatur Dordracensis Synodus. Ecclesia denique mihi Textus est, ubi sicut Scriptura; ubi ea loquitur, Commentarius; ubi ultraque in silentium consensit, nec Roma, nec Geneva mihi religionis canones præscribit, eos mihi à judicii mei dictamine petto. Injusto opprobrio nos onerant adversarii nostri, ipsique turpi errore

rore assentimur, Religionis nostræ natales ab Henrico Octavo computari. Is quidem Papam Romanum, non fidem ejecit; id quod majores ejus superioribus sæculis & voluerunt, & conati sunt; & nostra etiam memoria Respublica Veneta, ut creditum est, efficere tentaverat. A Charitate alienum est Contumelias illas, & convitia in Pontificem Romanum jacere; Cui saltem, ut sæculari principi, verborum humanitatem debemus. Non deesse fateor, quod nobis Stomachum moveat: Hujus Decreto excommunicatus sum, Hæreticusque audio, nec me mitiori titulo dignatur; Illi tamen Antichristum, Hominem peccati, aut metrericem Babyloniam per opprobrium regessisse me nemo unquam audivit. Charitatis est sine Reactione pati: Fieri potest, ut Satyræ istæ, invectivæque ex suggesto orationes apud vulgus aliquid valeant, cuius aures

aures ad Rhetoricam arrectiores sunt , quam Logicam : at quibus gravius est , & sanius judicium , qui norunt causam justam temperata disputatione defendi posse , nec Stomachi patrocinio indigere , his inquam Fidem neutiquam confirmare solent.

## Sect. 6.

**N**usquam mihi ortum est cum aliquo dissidium propter opinionum discordiam , nec inimicitiae suscepitæ , quod mecum in iis non sentiret , à quibus forsan paulo post & ipse dissensurus sum . Quæstiones super iis quæ ad Religionem pertinent mihi non arrident : easdemque consulo detractare soleo : præfertim si quando certamen inquinum futurum sit , adeoque evenire possit , ut patrocinii nostri imbecillitas Veritatis causæ officiat . Quoties aliquid addiscere cupimus , cum superioribus contendere expedit : ad nostras

stras vero opiniones confirmandas , cum iis configere præstat , quos & ingenio , & judicio superainus , ut ex spoliis , crebrisque victoriis inde reportatis , nostris apud nosmet pretium & honorem conciliemus . Ad veritatem vindicandam & propugnandam non est quilibet idoneus assertor : Sunt qui ex principio suorum ignorantia , veritatisque progugnandæ inconsiderato Zelo erroris turmas ad prælium inconsultius provocant , tandemq; Veritatis Hostibus trophæa remanent . Accidit enim aliquando , ut etiam Veritas necessario sit dedenda , haud aliter ac oppidum , quod tamen jure tenes : Præstat hac itaque tranquille frui , quam Bellifortuna periclitari . Si quibus in rebus dubitare contingat , aut eas ex animo patior delabi , aut saltem tamdiu missas facio , dum matuori jam & provectioni judicio me inde expedire liceat . Ocdipodæ enim cui-

cuique certissimum esse suam ipsius Rationem competi: eamq; esse, quæ, modo spatiū deliberandi detur, vincula ista & laqueos explicitura sit, quibus qui animo minus constanti & firmo sunt, impediti solent. In Philosophia ubi s̄epe bifrons videatur Veritas, satis Paradoxus sum: at in Theologia viam tritam libens insisto: & nec implicita quidem, nec tamen pervicaci fide Ecclesiæ primum mobile sequor, ad cuius motum posthabitum omnibus eccentrici Cerebri epicyclis feror: qua ratione factum est, ut Hæresibus, Schismatibus, & erroribus omnibus præcludatur introitus: à quibus in præsentia me undiquaque purum salva, spero, veritate pronunciare possum. Inter studia quidē immaturiora tribus me pollutum fuisse non inficiar, non quidem illis in novissimis his annorum centuriis enatis: sed obsoletis jam & antiquis, nec unquam, opinor,

opinor, renascituris, nisi ex cerebri alicujus nostri similis erratico & evaganti genio. Non enim cum Authoribus suis Hæreses intereunt, sed Arethusæ more, licet hic intercidere videantur, alibi erumpunt. Unum aliquod generale consilium, non unam aliquam Hæresin è medio tollere valet. Profligari quidem in præsentia potest, non tamen ita extirpari; quin ventura secula similesq; Cælorum aspectus candem redditura sint, tamdiu iterum victuram, dum iterum condemnetur. Opinones enim in alia atq; alia, iis vnde primitus originem traxerant similia ingenia, post certas annorum periodos incidere solent, plane quasi per metempsychosin quandā transmigratio fieret. Vt nos iplos renatos videamus \*

\* Anno Platonico non opus est: nec enim

\* Certa quadam temporum est post milia aliquot Annorum revolutionis, in qua futurum est, ut quæcumque antebac fuerant, priori conditione reddantur, adeoque Plato ipse eodem modo in Scholis præcipiat quo cum hæc dicaret.

enim est homo simpliciter unus: Diogenes multi fuerunt, multi Timones, quainvis pauci ita vocati. Idem homines, eadem saecula iterum atque iterum in scenam rediunt, nec quisquam antehac vixit, cuius non similis aliquis revixerit, & quasi Virbius lumen reviserit. Ex Hæresibus autem istis prima erat, Arabum illa, Animas humanas una cum corporibus interire, die tamen novissimo resurrecturas: non quod Animam plane mortalem esse senserint, aut id si esset, quod Fides sola non Philosophia hactenus regardare valuit, & si utrumque sepulchrum una introiret, eam tamen, sicut & corpus, resuscitandam esse. Nec profecto aliter ac vili nostra natura dignum est, nobiscum agetur, si usque in tenebris obdormiamus, dum supremum illud classicum canatur. Serio naturæ nostræ vilitatem dum mecum reputare

reputarem, hanc Animæ dignitatem arrogare metui. Liceat modo Servatore meo tandem aliquando frui, prope in æternum me nihil esse, haud moleste paterer. Secunda Origenis erat, Deum in æternum pñnas non sumpturum, sed post definitum iræ suæ spatium, liberaturum esse à supplicio damnatas animas: In quem errorem incideram, dum misericordiam divinam, magnum illud Dei attributum serio meditarer; eique aliquantulum indulsi, & quod ab omni malignitate alienus esse, aptumque & non inutile pondus habere videretur ad animum ab altero illo Desperationis extremo subtrahendum, cui nos melancholia, & Contemplatio obnoxios reddunt. Tertia erat, pro Defunctis oratio, quam quidem nunquam, aut defendi, aut exercui, id tamen per Veritatem & Religionem nostram licuisse saepius optavi; certis quibus-

dam Pietatis argumentis ad id adductus: ægre enim mihi temperare solitus sum, quoties amicum aliquem decessisse significaret Campana, quin pro eodem preces fundereim, & pro anima ejus, consperco corpore, vota facerem: Sic nos posteritati commendari mihi longe nobilius visum est, quam Historiorum calamis. Opiniones istas nunquam aut pertinaciter propugnavi, aut aliorum fidem iisdem implicare conatus sum: nunquam ne Charissimis quidem indicavi, aut discutiendas proposui: unde factum est, ut nec propagarem in alios, nec in me ipso confirmarem, ultro passus eas materiam illam, unde primum hæc flamma nata est, depasci, adeoque fomento nullo aliunde admoto insensibiliter tandem extingui. Hæ igitur opiniones, quamvis à legitimis Consiliis damnatae, in me quidem Hæreses non

non fuerunt, sed meri tantum & simplices intellectus errores, non accidente voluntatis pravitate. Illics non tantum depravatus est intellectus, sed affectus etiam morbidi, qui Paradoxi aliquid habere non contenti sunt, nisi & Hæresin insuper adjungant, nec opinionis alicujus authores esse, nisi sectæ etiam sint, scelesto illi, primoque Schismatico Lucifero non dissimiles, qui solus errare non contentus, multas spirituum Legiones in factionem pertraxit; & ea experientia edocet Evam solum tentare sati habuit, ut qui bene nosset contagiosam peccati naturam, alterique tantum imponere, tacite & consequenter perinde esse, ac si utrumque deciperet.

Sect. 7.

**O**Rituras esse Hereses Christus olim ipse vaticinatus est, at antiquas abolendas esse nullus præ-

B 2 dixit

dixit. Hæreses necessario futuras verum est, non tantum in Ecclesia nostra, sed aliis etiam. Ipsæ Hæreticorum doctrinæ suas habent hæreses, & non tantum ab ecclesia nostra divisi sunt Ariani, sed etiam inter seipsoſ: qui enim ingenio ad Schismata proclives sunt, & rebus novis natura student, usque sponte sua latius diffunduntur, nullo ordine, nulla Oeconomia coercendi. Ideoque ab aliis separati inter se ipſos minus firmiter cohærent, nec publica ſcissura, & Ecclesiæ di-chotomia contenti, minutim ſeſe etiam atque etiam diſſecantes, in Atomos prope tandem commi-nuntur. Ita ſane natura compa-ratum est, ut viri singulari ingenio ſingulares itidem opinioneſ, & do-gmata perpetuo habeant, eaque non tantum à ſuæ aut alterius cu-juslibet Ecclesiæ, ſed à cujuſlibet etiam Authoris ſententia diverſa,

quod

quod quidem fano judicio citra o-mnem aut offenditionem aut Hæresin licebit. Innumera enim illa, & Con-ciliorum decreta, & Scholarum ſub-tilitates multa adhuc integra & in-tacta reliquerunt, in quibus mens proba & ingenua libere expatiata in-nocuo ſe luſu recreare poterit, pro-cul omni Hæresis periculo.

Seſt. 8.

Aeria autem illa Theologijæ My-steria, caligantesque Religio-nis ſubtilitateſ, quæ tot melioris notæ hominibus cerebrum cardine emoverunt, non unquam mihi piam matrem laſerunt: Nec profecto ſatis impossibilitatem in Religione noſtra habere videtur alacris fides: Cujus mysteriorum altissima pro-funditas, non tantum dilucide ex-planata eſt, ſed Syllogiſmis etiam, rationiſque amuſi confirmata. Obſcuris aliquando deviſque Vesti-giis mysterium aliquod libens fe-

B 3

quor,

quor, donec ad *Oh Altitudo* ratio perveniat. Nodos illos de Trinitate, Incarnatione, & Resurrectione animi relaxandi gratia in eum interdum solitarius meditor, mentemque in his comprehendendis exercere soleo. Quaecunque mihi, aut Satanus, aut Ratio rebellis objiciat, ea omnia uno illo paradoxo Tertulliani consilio expedio, *Certum est, quia impossibile est.* In difficultissimis quibusque fidem exercere studeo; ea enim credere, quæ explorata sunt & sensibus constant, non Fidei est, sed Persuasionis. Sunt qui promptius credunt, quod Christi sepulchrum spectaverint, marique rubro viso de miraculo nihil dubitant. Ego vero mihi gratulor, quod in miraculorum tempore non vixerim, quod nunquam aut Christum, aut Discipulos viderim, quod nec cum Israëlitis mare rubrum transferim, nec in eorum numero fue-

fuerim quos Christus per miracula sanavit: hic enim mihi nolenti volunti credendum fuisse; nec ad me pertinuisse Benedictio de omnibus illis pronunciata, qui non videntes crediderint. Facilis est corum, & necessaria credulitas, qui ea credunt, quæ oculi & sensus exploraverint Eum mortuum, & sepultum resurrexisse credo, inque gloria ejus potius quam in Cenotaphio & Sepulchro contemplari cupio. Hæc autem credere minimum est; hanc fidem, ut æquum est, Historiæ debemus. Illis erat præ cæteris nobilis & animosa fides, qui ante adventum ejus vixerant: ex obscuris enim Vaticiniis, mysticisque typis credenda expiscati, expectarunt ea, quæ impossibilitatem quandam præ se ferebant.

*Sed. 9.*

**H**abet profecto aciem quan-

dam omnis firma fides, nec

B 4

durior

durior erit Metaphora, si quis dicat, Gladius fidei. Eadem tamen in hujusmodi nodis pro clypeo potius utor, quo titulo ab Apostolo insignitur: eumque invulnerabilem fore comperi, qui hoc munitus in certamen descendenterit. Ex quo eo profecerat sapientia mea, ut scirem nos nihil scire, Ratione mea usus sum Fidei indies magis magisque obsequenti. Nunc mysterium aliquod ex descriptione Platonica intelligere contentus morosam Definitionum severitatem non exegero. \* Allegoricam illam Hermetis descriptionem Metaphysicis omnibus Theologorum definitionibus longe præfero. In quibus Rationi satisfacere nequeo, Phantasæ morem gerere soleo: Æque mihi arrisurus est, qui Animam definierit, Angelum hominis corpus Dei, ac qui, *cûleλέξσαν.*

Qui

\* Sphæra cuius centrum ubique, circumferentia nullibi.

Qui Lucem Umbram Dei, ac qui Actum perspicui. Quæ obscuriora sunt, quam ut Ratio comprehendere possit, ea descriptione aliqua aut periphrasi adumbrare convenit. Cum enim hinc Ratio nostra didicerit experta, quam imbecilles vires habeat, quamque impar sit ad manifestos istos & quotidianos Naturæ effectus explicandos, summissor tandem futura est, & in Fidei subtilitatibus minus audax. His artibus, inquam, Rationem paulatim subigens ad Fidei imperium fingo. Credo jam tum fuisse arborem ex cuius fructu parentes nostri gustaverint infælices, quainvis in eodem ipso capite, in quo Deus ipsis interdixerat, diserta testentur verba nondum natas fuisse agri plantas, nondum enim effecisse Deum ut in terram plueret. Quod serpens ille ventre graderetur (si tamen hoc ad literam intelligendum est) ei ex cor-

B 5

poris

HAYKOB

34 R E L I G I O

poris figura etiam ante maledictionem contigisse credo. Virginitatis probandæ rationem Iudæis à Deo præscriptam incertam admodum & fallacem comperi. Docet & experientia, & Historia, non tantum certas mulieres, sed totas etiam nationes ab illa Puerperii maledictione immunes fuisse, quam tamen toti sexui Deus denunciasse videtur. Verissima tamen esse hæc omnia credo, quæ tamen falsa esse mihi Ratio persuadere parat. Nec Fidei esse vulgaris arbitror res hujusmodi credere, quæ non Rationem tantum superare, sed & ipsi, & sensuum testimoniis repugnare videntur.

Sect. 10.

S Olus cum sum, & à turba segregatus (*nec enim cum porticus, aut me Lectulus accepit, desum mihi*) solum tamen me non esse cogito, ideoque non excidit mihi eum, ejusque attributa meditari, qui semper una

M E D I C I . 35

una versatur; præsertim summa illa duo, Sapientiam ejus, & Æternitatem: illa mihi mentem recreare soleo, hac confundere: quis enim de Æternitate aut sine solacismo verba facere, aut sine exstasi cogitare poterit? Tempus animo comprehendere licet, ut quod quinque tantum dierum spatio nobis meti ipsius grandius sit, adeoque eundem nobiscum orbis Horoscopum sortiatur: Quoties vero eo usque in præterita retro ferri conor, ut principium, aut tam immenso saltu in futura promicare, ut finem ejus essentiæ animo complectar, quam & principio & fine carere statuimus, toties ad illud sancti Pauli Asylum me recipere cogor. Nec ipsos Angelos id posse Philosophia nostra asserere audet. Nullum creaturam sui capacem creavit Omnipotens. Se ipsum comprehendere posse, ejus ipsius solum naturæ proprium est.

B 6 Sum,

Sum, qui sum, est ipsius definitio Mosi à seipso dictata; brevis ea quidem, & quæ brevitate sua mortali bus animis sensus confunderet, quicunque eum interrogare auderent, aut ex ipso, quid esset, quærire. Ille solus est, reliqua omnia fuerunt, & erunt: at distintiones temporum non habet æternitas. Ideo que vox illa terribilis Prædestinatio, tanta difficultate à rudioribus intellecta, tantoque negotio etiam à doctissimis explanata non est, si de Deo recte sentire velimus, non est apud cum præscia futuræ nostræ conditionis determinatio, sed brevissima quædam voluntatis ejus sententia eo ipso momento completa, quo decreta est. Aëternitati enim, cum indivisibilis sit, & tota simul novissima illa tuba jamdudum sonuit, jamdudum in flaminis cruciantur damnati, & in sinu Abrahami Beati recumbunt. Unius tantummodo dieculæ

dieculæ rationem mille annos apud Deum habere Sanctus Petrus verecunde dixit: si enim Philosophorum more loquendum est, Temporis illa momenta, quæ fluxu suo continuato in mille demum annos deducuntur, ne momentum quidem unum apud illam constituunt. Quod nobis est futurum, Aëternitati præsens est: Cujus tota Duratio nihil aliud est, quam momentum fixum, & stabile, sine successione, sine partibus, sine fluxu, aut divisione.

*Sed. II.*

Non aliud attributum majore difficultate Trinitatis mysterium implicat, ubi in relatione Patris & Filii neganda est prioritas. Mirum mihi videtur, qua ratione Aristoteles mundum æternum fuisse intellexerit, aut duo simul æterna constare voluerit. Similitudo illa de Triangulo intra quadrangulum contento, illustrare aliquantulum vide-

videtur illam Animarum nostrarum Trinitatem , ut & ea vicissim triplicem Dei unitatem . In nobis enim non tres sunt Animaæ , sed Animarum Trinitas . Tres sunt , si non Animaæ distinctæ , distinctæ tamen facultates ; quæ in distinctis etiam subjectis , & possunt , & solent seorsim subsistere , ita tamen in nobis unitæ , ut unicam tantum animam & substantiam constituant . Si qua daretur tanta perfectione anima , ut tria distincta corpora simul informare possit , hanc pusillam quandam Trinitatem dicere licet . Et si numerum ternarium distinctum animo singas , intellectu non divisum , aut separatum , sed in unitate sua contentum ; ea demum est perfecta Trinitas . Mysticam illam Pythagoricæ Philosophiæ rationem , arcanamque numerorum Magicam sæpe admirari solitus sum . Caye à Philosophia ,

Præ-

Præceptum est non nimis laxe interpretandum : Nam in hac rerum naturalium compage , Theologica quædam legere est , non illa quidem literis majusculis , sed stenographia quadam , brevibusque Characteribus expressa , quæ in tenebrosa scientiæ Abysso prudentioribus pro Lucernis esse possunt , ilisque , qui sano judicio uti , fidemque integrum fervare norunt , pro machinis & Scalisi , ad Theologiæ muros arcetisque altissimas concendendas . Me nunquam severiorum Scholarum risus ab Hermetico illo dogmate deterruerit , nihil aliud , nimirum hunc mundum visibilem esse , quam Invisibilis simulacrum , in quo res nullæ veras essentias fortiuntur , sed æquivocas tantum icones & effigies , prout substantiam aliquam magis realem in fabrica illa invisibili referunt .

Sect.

Sect. 12.

**A**lterum illud attributum, quo pietatem meam recreare soleo, est Sapientia ejus. Hæc me beat, hujus solius meditandæ causa non pænitet me in literarum studiis fuisse educatum. Hac in re quoties mecum reproto, quanto beatior sit nostra quam Vulgi conditio, & quanta hinc Animi fælicitas usque accedit, omnium equidem studiorum meorum in quounque tandem scientiæ genere positorum amplam & liberalem mercedem percepisse videor. Sapientia est pulcherrimum ejus Attributum, quam licet nemini mortalium consequi detur, grata tamen fuit Deo Solomonis Oratio eandem potentis. Ideo sapiens est, quia omnia novit, & ideo omnia novit, quia universa creavit. Ejus tamen sapientiæ summa est, id comprehendisse, quod non

crea-

creavit, nimirum se ipsum : Hæc ut ipsi est, ita homini etiam suprema sapientia. Hanc ob causam meum vitæ institutum pluris aestimo, & ipsius Diaboli consilium amplector : si quæ \* Delphis, ea olim in Paradiso præcepisset, & nos meti ipsos fælicius nossemus, nec metuissimus novisse illum. Sapientein esse in omnibus scio, in iis quæ intelligimus admirabilem, in iis tamen longe admirabiliorum, quæ intellectu comprehendere nequimus. Nos illum per umbram tantum & reflectionem quasi limis intuemur. Hebetior est mentis nostræ acies, quam Mosis oculi : nos enim posteriores inferioresque Divinitatis partes ignoramus. Arcanum consiliorum ejus Labyrinthum explorare velle, non tantum Stulticiæ est in hominibus, sed in ipsis etiam Angelis Audaciæ. Ut nos, sic illi quoque

\* Γρῦπη σεωπή.

que Famuli ejus sunt , non senatores : Non aliud concilium habet , quam mysticum illud Trinitatis ; in quo licet tres sint personæ , unica tamen mens est , quæ nullo refragante decernit . Non illi consultatione opus est ; nec enim ex deliberatione profiscuntur Actiones ejus . Quod optimum factu fuerit , sua protinus natura sapientia ejus intelligit . Summis usque & purissimis Bonitatis ideis mens abundat . Consultatio & electio , quæ in mente nostra diversæ sunt operationes , in illo tantum una sunt & simplex motio . Accedente enim voluntate protinus à potentia ejus profluunt Actiones . Metaphysicæ sunt speculations istæ , meæ autem summissiori contentæ methodo , ea tantum vestigia sectantur , & explorant , quæ in creaturis suis obviisque naturæ effectibus impressa , reliquit . Nullo periculo exploratur mysteriorum horum

pro-

profunditas : Sanctum Sanctorum non habet Philosophia . Brutis quidem ad habitationem , Hominibus vero ad contemplationem mundus creatus est . Debitum hoc Rationis nostræ erga Deum officium est , idque illi eo nomine præstandum , quod nos bruta Animalia non esse voluerit . Hoc si demeres , non aliter se res haberet quam olim ante mundum creatum ; aut ante diem sextum , cum nondum esset ulla creatura , quæ aut mundum intelligeret , aut creatum agnosceret . Ad divinam sapientiam peregrinus honor redit a rudi illa hominum turba , qui tantum rustica quadam & crassa admiratione ejus opera suspiciunt . Illi eum egregio honore accumulant , qui operibus ejus consulto & prudenter exploratis , creaturisque diligenter perspectis , doctæ piæque Admiracionis officium præstant . Hanc itaque ob causam :

Excuse

**E**xcite naturam solers, ipsisque petitus  
Imi Erebi cellis redimat mens impigra verum.  
Causarum palatum acies, agmenque coerce  
Ordinibus, rerum series hinc inde retexens.  
Condidit aetheream tibi qui cum corpore mentem  
Sola agnoscendus, solaque condens ab illa,  
Hoc jubet, hoc pacit: Quem quamvis noverit illa  
Sans Erebo damnata cohors, non laudibus ullis  
Concelebrare studet, merito non tollere honore,  
Dirus amor tantum est Animis, studiumque nocendi.  
Hac igitur versant divina volumina Rerum  
Fac de sic relegam, sic de pater optime nostrum  
Proficiat studium, mox ut proiectior ad te  
Discendum pergam. Canto petere Alta volatu  
Sic animus doceas, nimis ut sublimia ritem,  
Lassatusque alis ut te super usque resdam.  
Sic animus cauis, tamen & sublimibus, alis  
Propter humum volitans summum superabit Olym-  
pum.  
Tandem Naturae campos praedatus opimos  
Parva apis exemplo referas, similiisque susurro  
Ut que tue deus, & laudis meditabor honores.  
Donec paulisper mors interpellat, at inde  
Aeterno det idem dulci modulamine carmen.

Hæc fere sunt in quibus submissa  
creatura gratiam quodammodo re-  
ferre Creatori poterit. Si enim non  
ille servandus est qui dicit, Domine,  
Domine, sed qui facit quod vult Pa-  
ter; Profecto velle nostrum ope-  
rum loco esse oportebit, faciendique  
studium

studium faciendorum vices supple-  
re. Aliter enim, quæcumque hic  
pie sincereque conati sumus, nobis  
olim anxietatem tantum in sepul-  
chro afferent, efficientque, ut po-  
tius metuenda sit, quam speranda  
resurrectio.

## Sect. 13.

**C**AUSA rerum omnium prima-  
ria unica est, secundariæ qua-  
tuor. Quædam Efficiente carent,  
ut Deus; quædam materia, ut An-  
geli; quædam Forma, ut materia  
prima; nulla vero est Essentia, sive  
creata, sive non creata, qua non cau-  
sam aliquam Finalem habeat essen-  
tiaæ sue operationibusque proposi-  
tam: Hanc in Naturæ operibus inve-  
stigare studeo, ab hac pendet divina  
Providentia. Pulcherrimam hanc  
Orbis, rerumque creatarum com-  
pagem struxisse, opus erat solum-  
modo divinæ Artis; at varias illas  
operationes, singulisque rebus sua

man-

HAYKOP  
LIBRARY  
HAYKOP  
LIBRARY

46

## RELIGIO

mandata munia, non nisi ex sapientiæ ejus Thesauris proficisci oportuit. Solis & Lunæ Eclipses una cum Causis suis, Naturis, & Effectibus, materiam prope divinam Speculationi suggesterunt; si vero Res has penitus repetas, & ratione in explorare contendas, cur eorum motiones in vasto illo circuitu ad hujusmodi Concursus disposuerit divina Prudentia, ita ut sibi invicem lumen eripiant, suavius sane differes, divius philosophaberis. Unde fit, ut in rebus nonnullis plus aliquando Theologiæ habere videatur Galenus in libris suis de Uso Partium, quam Suarezius in Metaphysicis. Si quantam in reliquis, tantam in hac causa investiganda diligentiam adhibuisset Aristoteles, non imperfetam Philosophiam, sed perfectum Theologiæ tractatum reliquisset.

Sect.

## MEDICI.

47

Sect. 14.

Natura nihil agit frustra; Ex omnibus Philosophiæ axiomaticis hoc solum non est disputacionis alex obnoxium: non ociosa aliqua suppellectile instructa est hæc Rerum Natura, nihil inutile habet, nihil inane. In creaturis maxime imperfectis, quibus nec in Arca servari contigit, quæ, ubicunque sol vim suam exercat, ex seminibus quibusdam in Naturæ gremio latitantibus nascuntur; in his, inquam, omnibus Sapientiæ ejus dextra conspicitur. Hinc sibi Admiratiois suæ materiali selegit Salomon; &, si verum fateri volumus; Quotus quisque est, quem non Apes, Formicæ & Aranæ sapientiam docere possunt? Quæ tandem docta manus hæc illos docet, quæ nos ratio ipsa docere nescit. Balænas, Elephanthos, Dromedarios, Camelos, reliquumque id genus prodigiosum Naturæ opificium

ficiū , attonitis animis miratur crassior hominū turba ; sunt hæc, fateor, quasi naturæ Colossi & augusta ejus dextræ opera ; plus tamen Artis & ingenii compages istæ parvulæ habent, plenius & concinnius Creatoris sui sapientiam ostendunt pusillorum istorum Quiritium Republicæ . Quis non Muscam magis, quam Aquilam Regiomontani miratur, magis duarum animarum operationes in brevibus hisce corpusculis, quam unius tantum in trunko Cedrino? Maris fluxu & refluxu, annuo illo Ægypti diluvio, Styli Nautici ad septentriones conversione, cæterisque id genus communibus Naturæ miraculis contemplandis nequaquam contentus, eadem sæpe cum quotidiano neglectoque Naturæ Artificio conatus sum componere; idque sine multo negotio intra mei ipsius Cosinographiam me facere posse video. Nobis intus

intus sunt miracula illa, quæ foris quærimus. Universam Africam cum omnibus ejus mōstris intra nosmet-ipsos inclusam habemus. Ipsí audax illud Naturæ opus sumus, quod qui diligenter didicerit, prudenter ea per compendium acquireret, quæ cæteri in immenso dispersoque volumine non sine maximo labore consequuntur.

Sect. 15.

**D**uo itaque mihi libri sunt ex quibus Theologiam addisco; scriptus quidem alter est, isque Dei, alter Famulæ ejus Naturæ; Universale scilicet illud, & publicum Manuscriptū foliis explicatis omnium oculis expositum. Illum qui in altero nunquam viderant, in hoc conspexere. Hæ olim Scripturæ fuere, & Theologia Ethnicorum. Non Israëliticis tantam admirationem excitavit supernaturalis Solis statio, quantam illis, quotidianus ejusdem

C motus;

motus; nec tam hi miracula ejus stu-  
puerunt, quam illi notissimos Natu-  
ræ effectus. Certe mysticæ hujus li-  
teraturæ peritæ Ethnici Christianos  
longe superarunt, Charakteres istos  
obscuros multo nobis doctius con-  
jungere, & legere norunt. Nos Hier-  
oglyphica ista vulgaria negligenter  
inspicimus, Theologiam ex na-  
turæ floribus exuctam aspernantes.  
Nec tamen ita Dei immemor sum,  
ut Naturam venerer; Quam non  
principium motus & quietis cum  
Scholis definio, sed, Rectam illam  
& regularem lineam, in motum il-  
lum & constantem ordinem creatu-  
rarum actionibus pro sua cujusque  
natura à Divina sapientia præscri-  
ptum. Singulis diebus revolutio-  
nem confidere, Solis natura est; hic  
enim cursus necessarius est, ipsique  
à Deo mandatus, à quo nequaquam  
aberrare potest; id autem ne possit,  
vocis illius potentia efficit, quæ pri-  
mum

mum illi hunc motum tribuit. In-  
stitutum autem istum Naturæ cur-  
sum Deus rarius mutare aut inter-  
turbare solet; sed tanquam peritus  
Artifex hoc opus suum ita ex omni  
parte absolutum reddidit; ut iisdem  
hujus instrumentis usus occultissi-  
ma quæque consilia sua sine nova  
aliqua creatione facile administret.  
Sic ligno aquis amaritudinem adi-  
mit: sic creaturas per Arcam servat,  
quas tamen pari facilitate per oris  
sui spiritum creasse potuerat: perito  
Geometræ non dissimilis, qui cum  
lineam rectam uno circini ductu fa-  
cilius aut describere aut dividere  
possit, hoc tamen circulo aliquo,  
Artis suæ institutis & præceptis ob-  
servatis efficere mavult. Quamvis  
hanc Artis suæ rationem nonnun-  
quam negligere & revertere solet,  
quo nos prærogatiæ lux comimo-  
nefaciat, ne forte Ratio nostra po-  
tentiam ejus in dubium vocare per-

HAYKOB

52 R E L I G I O

insolentiam auderet, eumque hæc nec posse statueret. Naturæ igitur effectus Dei opera voco, cuius illa tantum quasi manus & instrumentum est, adeoque illius actiones huic tribuere, nihil aliud esset quam honestem Principalis Agentis in instrumentum transferre: quod si jure fecisse licet, quin mallei se nobis ædes nostras construxisse jacant, calamique nostri scriptorum honorem vendicant? Vniversalem esse pulchritudinem per omnia Dei opera diffusam statuo, adeoque nullum Creaturæ genus aliquid deformitatis habere. Logicæ quomodo consentaneum sit, non satis assequor, ut aut Bufo, aut Vrsus, aut Elephas deforms vocentur, ea enim externa specie, & figura creati sunt, quæ cum ipsorum actionibus formaque interna aptissime conveniat. Vniversalem illam Dei examinacionem hæc omnia subierant, qui vidit,

quæ-

M E D I C I . 53

quæcunque fecerat, omnia esse bona, hoc est, voluntati suæ conformia, quæ ab oīnni deformitate abhorret: hæc enim est ordinis oīnnis & pulchritudinis norma. Monstrantū deformia dicenda sunt, quamvis & hæc etiam pulchritudinem quandam sortiuntur, quod adeo ex naturæ ingenio, & arte evenit, quæ partes istas abnormes ita disponit, ut nonnunquam magis spectabiles evadant, quam principalis Fabrica. Strictius adhuc ut loquar, præter unum Chaos nihil unquam deformatum est, in quo tamen ipso deformitas non erat, quia nec forma: nondum enim à divina voce gravidatum fuerat. Naturæ autem cum Arte non disconvenit, nec Arti cum Natura: est enim utraque Providentiae famula. Ars est naturæ perfectio: si nunc eodem modo se Mundus haberet, quo die sexto habuit, essent adhuc omnia Chaos. Mundum

C 3

dum unum Natura condidit, Ars alterum. Omnia denique artificia-  
lia sunt, Natura enim est Ars Dei.

## Sect. 16.

**H**Æc est nota ac trita Divinæ providentiaz semita, cuius bonam partem Ars & industria inve-  
stigarunt: Cujus effectus prædicer-  
re sine oraculo licet: Hoc enim prognosticare est, non Vaticinari.  
Est autem alia Mæandris, & La-  
byrinthis impedita via, de qua ne  
Dæmonibus quidem ipsis, aut Spi-  
ritibus ullis sunt certæ Ephemerides.  
Hæc est Providentiaz ejus ob-  
scura, & magis specialis Methodus,  
qua particulares Individuorum a-  
ctiones ordinantur. Hanc Fortu-  
nam nominamus, serpentinam il-  
lam, & flexuosam semitam, qua a-  
ctiones suas omnes deducere solet,  
quascunque occultiore ratione ad-  
ministrandas instituit. Crypticam  
hanc & involutam Methodum sem-

per

per admirari solitus sum. Nec quo-  
ties pericula mihi saepius vitata, for-  
tuitosque rerum occursus recorda-  
tus, vitæ meæ commentarios & di-  
scrimina memoro, Fortunæ tantum  
gratiæ mihi agendæ videntur, non  
syderibus meis solummodo gratu-  
landum. Quod Vepreto implici-  
tus hæreret agnus, casui alicui tri-  
buisse Abrahamus poterat. For-  
tuito tantum accidisse, ut Moses  
Arcæ inclusus in Pharaoris filiæ  
conspectum ageretur, humana for-  
te Ratio crediderit. Quot vero &  
quales Labyrinthos habet illa de  
Iosepho historia, qui vel Stoicum à  
sententia sua dimovere possit. Sunt  
proculdubio offendicula quædam,  
& more unicuique in vita objectæ,  
quæ licet prima specie Fortunæ ef-  
fectus videantur, ea tamen si dili-  
gentius excutias, à dextra Divina  
proficiisci compieres. Non bruto-  
tantum casu factum est, ut ad ful-

C 4 phu-

phuream Conjurationem detegendam, in reddendis literis error acciderit. Quod nostra illa An. 1588. de Hispanica Classe victoria non sine tempestatibus & ventorum adversitate acciderit, id quod illi nobis dedecori vertunt, Fortunæque indulgentiæ tribuunt, hoc idem mihi victoriam ipsam vehementius commendat. Non de honestavit Nationem nostram Philippus Rex, cum se classem mississe diceret cum hominibus, non cum ventis prælatum. Quoties manifesta Viri iniquitate duo aliqua agentia concurrunt, ipsa Rationis axiomata victoriam fortiori spondent: Quoties vero casus aliquos inopinos incidere & intervenire contingit, eos à superiore aliqua potestate proficiisci necesse est, quæ horum axiomatum legibus non tenetur. In quibus, haud aliter ac in iis, quæ in\* patiente

\* Dan. 5.

riete exarata erant, manum quidem conspicimus, ea vero unde moveatur, non videmus. Pusilla illius Hollandorum Provinciæ successum (de qua superbe satis Tyrannus Turcicus, si quantum Hispano molestiæ negotiique ab illa ortum est, sibi obtigisset, mislurum se fuisse, dixit, qui ligonibus furculisque in mare conjicerent) non Gentis ingenio industriæque imputare possum; sed Divinæ tum clementiæ, quæ solerter illum Genium animis indidit, tum providentiæ tribuo, quæ singulis regionibus beneficia sua pro arbitrio dispensat, idque suo cuiq; tempore jamdudum præfinito. Non universis simul licet esse felicibus; cum enim ab hujus imperii ruinis illius gloria pendeat, suam quodque revolutionem amplitudinique vicitudinem habere oportet, ejusque rotæ conversioni parere, quæ ab Omnipotentis

dextra, non ab intelligentiis moveruntur; quæ Rebus publicis omnibus summittatem quandam, & quasi punctum verticale statuit, quo juxta præstitutam cuique periodum pervenientum est. Omnia enim non hominum tantum, sed Rerum publicarum etiam, sed totius mundi, æva, non quidem Helicis more usque & usque ampliantis feruntur, sed circuli ritu progressa, & ad meridianum suum tandem pervenientia, retro iterum sublapsa referri incipiunt, ingloriaque demum sub Horizonta recidunt.

Sect. 17.

**H**Æc igitur Fortunæ effecta nominanda non sunt, nisi Relative tantum, quemadmodum & Naturæ opera; Hanc prima vocem ignorantia peperit, falsumque nomen Divinæ Providentiae incogitanter indidit. Non enim est Causis ullis concessâ licentia fortuito, & in-

ordi-

ordinatim operandi, nec universalis alicujus superiorisque causæ injusu ullus unquam effectus oritur. Latrunculorum ludum à precatiuncula aliqua auspicari non est ita ridiculæ Religionis, in ipsis enim sortilegiis, & quæcunque Fortunæ maxime obnoxia videntur, eventorum certa quædam est & præfinita series. Ipsi nimirum cæci sumus, non fortuna: quia hebetior est nobis oculorum acies, quam ut administrationis ejus mysterium perspiciamus, nos stulti cæcam inepte pingimus, Numinisque Omnipotentis Providentiae obvelamus oculos. Nec vili illi Proverbio patrocinor, Fortunam favere fatuis: nec arroganti illi Paradoxo, Sapientem supra fortunam esse: nedum contumeliosis illis poëtarum Epithetis, apud quos Impudica, Lena, & Meretrix audit. Ita quidem natura comparatum est, ut fere hi qui singularibus

C 6 inge-

ingenii dotibus prædicti sunt, illis Fortunæ careant. Quod tamen illis, qui recte sapiunt, hujusque administrationis æquitatem intelligunt, nequaquam animos dejicere solet: Præstantioribus enim donati muñeribus de vulgari ista Felicitatis parte sunt minus solicii: Inquisimæ est ejus Ambitio, qui omnia Omnipotentis beneficia sibi soli exspectit; nec animi bonis contentus, etiam Corporis illa & Fortunæ postulat: Et erroris plusquam Hæretici sunt isti condemnandi, qui sarcinas tantum, & impedimenta Fælicitatis suspicientes, essentialia illa quæ beatitudinem consummiant, quibusque Creatorem nostrum referimus, parvi æstimant. Hæc promeruisse tantum satis est illis, qui prudenter sapiunt, nec ut iisdem fruantur sunt ita solicii. Providentiam stultis consulere facile patior: maximum hoc Divinæ æquitatis argu-

argumentum est; tantum abest, ut iniqua indulgentia videri possit. Naturalium enim parentum more Deus nobiscum agit: qui corpore animoque valent, ipsos sibi ipsis consulere jubet; in cæteris quod ingenio deest, ampliori hæreditate fareit, & interorum bonorum defectum externis compensat; Ita nec est, cur aut naturæ succenseamus, quæ nos nudos reliquerit, nec reliquis animalibus invideamus, ut quibus cornua, unguis, & vellera tribuerit: cum ipsis Ratione instructi simus, quæ nobis hæc omnia facile suppeditat. Non opus est ut tanto argumentorum molimine, Astrologiam Iudicariam oppugnare concemur. Si quid enim veri habet, id Theologiae nequaquam officit; Licet aut nasci imperante Mercurio ingeniū tribuat, aut, imperante Iove Divitias, nihil tamen honoris aut huic aut illi debeo, sed illi tantum bene-

benevolæ dextræ, quæ incertam  
meam & indifferentem nativita-  
tem ad tam amicos aspectus coér-  
cuit. Qui omnia per Fortunam ad-  
ministrari senserunt, id tantum er-  
rarunt, quod ibi substiterint. Ali-  
quid hic Divinitatis subesse, licet  
obscurius, agnoscebant Romani,  
cum Fortunæ templum ædifica-  
rent. Qui enim legitimam rerum  
Rationem init, ab Omnipotente  
incipit, & in eundem desinit. Com-  
pendiosius in cælum iri potest,  
quam per illam Homeri Catenam.  
Non res est magni negotii & cæ-  
lum & terram in unum idemque  
argumentum connectere, & omnia  
deinde brevius, quam per Soricis  
Acervum, in Deum resolvere. Li-  
cet enim, ut usu venire solet, à pro-  
ximis causis nomina sua fortiantur  
effectus, Certa tamen & vera o-  
mniū causa Deus est, cuius con-  
cursus licet universalis sit, in singu-  
las

tas tamen particularium actiones  
diffunditur: nihil enim aliud est,  
quam spiritus ille, cuius solius be-  
neficio unaquæque particularis es-  
tentia, non tantum subsistit, sed  
operatur etiam.

## Sect. 18.

Non paucorum Religio in A-  
theismum conversa est, dum  
duas istas secundarias causas, Dei  
quasi visibiles manus, sinistre &  
præpostere interpretarentur: Qui  
salabrum Fidei monitorum imme-  
mores Affectuum & Rationis Con-  
jurationi aures præbent. Ideoque  
semper, quod potui, ad inimicas  
istas tetricasque Affectuum, Fidei,  
& Rationis iras componendas ope-  
ram dedi: Hæc enim tria in anima  
nostra imperium affectant, non mi-  
nus paci ipsius & tranquillitati ini-  
mica, quam olim Triumviratus ille  
alter Reipublicæ Romanae.

Ratio Fidei rebellat, Affectus  
Ra-

Rationi : quæ Fides censuit, Ratio improbat : quæ Rario statuit, aversatius Affectus, & tum hujus, tum illius sententiae refragatur Ratio, sicut tamen prudens & placidum judiciū accesserit, ita res hæc tota componi poterit, ut omnia simul regnent, nec tamen nisi unicam Monarchiam constituant, cum unum quodque jus suum & autoritatem, & loci, & temporis ratione habita legitime exerceat. Habet quidem ut Philosophia, sic Theologia etiam impeditos quosdain nodos, objectionesque contumaces, quibus, quæ est cognitionis nostræ infelicitas, non raro implicari solemus. Quod genus me uno neinō hominum plura expertus est : quæ equidem non vi & armis, sed genibus flexis subegi. Nec enim nobis cum dubitationibus istis certamen est, sed cum ipso Diabolo : Ille, quæ est spiritus ejus scelerata improbitas, etiam studiis nostris ad insi-

infidelitatem in nobis generandam utitur : & quædam naturaliter fieri posse ostendens, de miraculis ipsis suspicionem injicit. Ex Archidoxis & arcanis rerum Sympathiiis perlectis, similiter in æneo olim serpente nihil fuisse miraculi persuadere parat, hæc enim omnia per Sympathiam aliquam effecta fuisse, & remedium illud per artes Ægyptiacas sine miraculo inventum. Cum itidem in Bitumine experimenta quædam conspexisset, & longe etiam plura de Naptha legisset, ille statim animo curioso de Altaris igne suspicionem injicit, nec miraculi quicquam edidisse Eliam, eum Altare fossa cingeret, aquamque circumducere: non enim materiam illam adversario humore extingui, sed in mediis inimicæ aquæ amplexibus exardescere: Ad eundum modum Sodomorum combustionem naturalem fuisse, & lacum illum ante in-

te incensa Gomorrha Bituminosum & Alphaticum. Novi hodie mannam in Calabria ubertim colligi, idemque olim in Arabia accidisse apud Iosephum legeram; Continuo Diabolus, quale ergo, inquit, fuit hoc Mosis miraculum? Non aliud tunc viderunt Israëlitæ, quam hodie Regionum istarum incolæ. Sic ille, quasi in Latrunculorum ludo mihi Peditem cedens, Reginam captat; Studiisque meis ingenuis sinistre usus Fidem mihi labefactare conatus est, dum ego Rationi cumulandæ studeo.

## Sect. 19.

**N**Ec tamen aut hæc, aut ulla alia tantum apud me unquam valuerunt, ut ad infidelitatē aliquam, aut deplorata Atheismi dogmata pertraherent; nulos enim unquam Atheos fuisse jamdudum credo. Qui homines à Brutis animalibus reli-

gione

gione distingui statuunt, verisimiliter loquuntur, & hoc pari probabilitate tuefi poterunt. Illud Epicuri dogma, quo Divinam providentiam sustulit, Atheismus non erat: Ex sublimi enim & magnifica opinione de Deo concepta, Majestatem ejus indignam judicavit, quæ viles istas Inferiorum actiones curaret. Fatalis Stoicorum necessitas nihil aliud est, quam divinæ voluntatis immutabilis lex. Qui olim spiritus sancti Divinitatem sustulerunt, hæreticorum nomine solummodo damnati sunt; & qui hodie servatorem nostrum abnegant, licet Hæreticis omnibus deteriores, Athei tamen non sunt. Ut cunque enim in Trinitate duas esse personas negent, unum tamen Deum esse nobiscum statuunt.

Monstrum illud hominis, Diis inferis à secretis Scelus, nefarii illius tractatus de tribus Impostoribus

\* au-

HAYKOPA

68

## RELIGIO

\* author, quantumvis ab omni religione alienus, adeo ut nec Iudæus, Turca, nec Christianus fuerit, plane tamen Atheus non erat. Est sane suus cuique regioni Machiavellus, suus cuique saeculo Lucianus. De quibus ut ne audire quidem Vulgo tutum est, ita nec qui pro vetiori iudicio sunt eosdem audacius aggredi debent. Hic ea Satanæ Rhetorica latitat, quæ mentes, aut leves, aut præjudicio tentatas facile pervertit.

Sect. 20.

**H**Æc omnia me perlegisse fatetur, nec tamen quicquam reperiisse, quod prudentem Fidem labefactare possit. Quamvis non de sunt apud quos leves isti & inanes verborum fumi pondus habeant. Doctorem quendam Medicinæ in Italia novi, qui animam esse immortalem sibi persuadere non poterat, quia id Galenus dubitare vi-

sus

\* *Bernardinus Ochinus.*

## MEDICI.

69

sus est. Cum alio quodam in Gallia mihi familiaritas contigit, Theologo quidem eo, & singularis ingenii viro, ita tamen super eadem re tribus \* Senecæ lineis implicato, & impedito, ut nullis argumentorum antidotis, sive è Scripturis sacris, sive è Philosophia desumptis, erroris ejus venenum expelli posset. Est Genus quoddam hominum, qui Nautis credituri quæcunque narraverint, Sancti Pauli testimonia in dubium vocant; cumque Plinii & Eliani traditiones strenue defendant, idem in sacræ Paginæ Historiis querunt & hæsitant, & ea solummodo fide dignantur, quorum aliquid simile apud Ethnicos scriptores repererint. Esse quædam fatetur in Scripturis sacris, quæ si quis cavillandi animo legerit, nugas si mas

\* Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil. Mors individualia est noxia corpori, nec patiens Animæ. Terti morimur, nullaque pars manet nostræ.

HAYKOKA

70 RELIGIO

mas quaslibet Poëtarum fabulas superare videantur. Omnes licet & superiorum ætatum Legendas, & præsentis ineptias percurras, vix quicquam reperias quod cum Samsonem certare poterit. Quæ tamen omnia facile possibilia sunt, si modo minimum Omnipotentis digitum ad motum cogitemus. Fieri nō potest quin in hominum sermone, & in ipsa infallibili Numinis voce, saepe abnormitates quædam, Contradictiones, & Antinomiae appare videantur, quod adeo ex debili ingenii nostri captu accidere solet. Possim ipse Nomenclaturam quandam dubitationum in medium afferre, quæ adhuc, ut opinor, intactæ sunt, nec à quoquam, quod sciam, in controversiam adductæ; nec tamen ejusmodi sunt quæ statim atque audiuntur explicari possint, non quæstiones inanes, & ineptæ, non objections è fumo natæ:

MEDICI. 71

natae: Atòmos enim in Theologia non fero. Columbam ex arca emissam nec reversam lego, non tamen quæsiturus quo pacto relictum solum postea repererit; Lazarum ab inferis revocatum, nec tamen scire labore, ubinam gentium ejus anima interea hæserit; nec Iuris controversiam moveo, Liceretne illi, quem hæredem scripserat, bona ejus obtinere; an ipse jam in vitam redux facultates suas jure repetere possit. Ex sinistro an dextro Adami latere formata fuerit Eva, nullus disputo; neandum enim mihi satis certo constat, quid dextrum aut lævum in homine sit, aut nunquid hujusmodi discriminis Natura dederit. Ex Adami costa extructam credo, non anxie disceptaturus, Utrius ad Resurrectionem hæc costa futura sit; non utrum Adamus Androgynus esset, quod ex Textus litera Rabbini probare volunt: Androgy-

drogynum enim fuisse, antequam esset fæmina, aut utriusque naturæ compositionem, antequam altera crearetur, Rationi parum consonat: Similiter nec utrum mundus sub tempore autumnale, æstivum, avernū creatus esset, nam in his omnibus creatus est: nec refert quodnam ex cælestibus signis Sol obtineat: hæc enim quatuor anni tempora semper actu existunt: Luminaris ejus est, annum in quatuor tempestates distinguere, quas omnes eodem tempore in universis terræ partibus efficit, & successive in singulis. In Theologia quidem pariter ac Philosophia non parvus est controversiarum numerus, quas nonnulli, iisque summa eruditionis opinione viri, & proponere & ventilare solent, in quas ne horas quidem vacuas, nedum seria nostra studia impendenda censeo; digna omnia, quæ aut Pantagruëlis Bibliothecæ

theçæ dicentur, aut cum Tartareto de modo Cacandi in unum idemque volumen compingantur.

*Sett. 21.*

**H**oc genus subtilitates illis omnibus indignas censeo, qui in mysterio tam serio versantur. Aliæ etiam sunt quæ frequentius in Iudicio sisti solent, quæ tamen, ut mihi videtur, nullam Fidei aut difficultatem, aut impossibilitatem referunt. Ridiculum est illud Noë Diluvium pro Deucalionæ ita præterire, quasi Universalis ille cataclysmus à particulari hac inundatione absorberi possit. Semel fuisse Diluvium, non tam mirandum mihi videtur, quam non semper esse. Posse omnia Animalium genera, cum debita insuper & necessaria commeatus copia, in Arca fuisse servata, caque non trecentis cubitis majore, si quis reçam rationem ineat, perfacile videbitur. Aliud

D Arca-

HAYKOBA

74 R E L I G I O

Arcanum est, non quidem illud à sacra pagina petitum, quod difficilius expeditur, bonumque illum Patrem ad miraculi refugium compulit, quo pacto nimis evenis-  
set, ut separatae orbis particulæ, di-  
visæque insulæ, non tantum incole-  
rentur ab hominibus, verum etiam  
à Tigribus, Pantheris, & Ursis  
habitarentur. Vnde belluis rapaci-  
bus, noxiiorumque Animalium ge-  
nere abundaret America, & equo  
tamen careret, jumento ad tam  
multa utili: Qua ratione non aves  
tantum, sed nocentissima etiam &  
ingrata animalia illo trajecissent.  
Qui accidat, ut Animalia quædam  
ibi reperiantur, quæ in triplici hac  
Continente frustra quæsiveris. Quæ  
omnia nobis mira videri oportet,  
qui arcain tantum unicam, unicun-  
que Aratrum agnoscimus, unde  
in omnes orbis terrarum partes uni-  
versum Animantium genus diffun-  
dere-

M E D I C I . 75

deretur. Qui ut huic rei remedium  
inveniant, Diluvium particulare  
statuant, principio nituntur mihi  
nequaquam concedendo; quippe  
cui aduersetur, non tantum negati-  
vum à scripturis argumentum, sed  
Ratio' ctiam: Noë enim tempore  
mundum æque populosum fuisse, ac  
hodie est, & tunc ad genus Huma-  
num propagandum mille quingen-  
tos annos æque suffecisse, ac postea  
quater mille, probabile facile red-  
didero. Alia etiam quædam ex scri-  
pturis vulgo afferuntur, paremque  
cum iisdem fidem obtinent, quibus  
tamè Rationis meæ libertatem im-  
mancipare nolo. Cæteris omnibus  
Adami filiis vivaciorem fuisse Me-  
thusalem, paradoxum habeo; nec  
fuisse quisquam probaverit, imo ex  
ipsa contextus serie contrarium e-  
vincam. Iudam sibi vitam laquo  
finisse ex sacra pagina non constat:  
licet enim quodam in loco id textus

D 2

vide-

videatur dicere, adeoque vocis ambiguitate factum sit, ut sic interpres translulerint: alibi tamen ubi res tota diligentius ex ordine prescribitur, hanc ipsam sententiam improbabilem reddit, & evertere videtur. Turrim Babyloniam à patribus nostris secundum Diluvium ideo extructam fuisse, ut in simili cataclysmo refugium fuisse, vulgo creditum est. Cum tamen scripturæ aliud eorum fuisse consilium narrent, ut taceam, quod hoc ipsa loci circumstantia improbabile reddatur; erat enim planities in terra Shinar. Hæc, ut quaer Fidei Articulino sunt, libera disputatione ventilare licet. Sunt & alia à Textu familiariter deducta, pace tamen aliorum dixerim, parum congruenter. Dogma illud de Geniis tutelaribus summa cum confidentia asserit Romana Ecclesia, idque ex responso illo, Petro sores pultante, Non est ipse, sed

An-

Angelus ejus: hoc est, Nuncius ab eo aliquis: sic enim ex Græco interpretari licet, idque eos metu hæsitan tes per verba illa voluisse non est veri dissimile. Hanc interpretationem juniori cuidam Theologo me aliquando suggerisse memini, eumque ita respondisse; ad quam nihil aliud replicuit Opponens Franciscanus, quam novitiam esse eam, nec satis authenticam interpretationem.

## Sæt. 22.

Hominum istæ sunt, adeoque erroribus obnoxiae sermocinationes super Verbo Dei: Dei enim Verbum esse sanctas scripturas credo; quæ ut maxime hominū essent, ejusmodi tamē esse mea veritas fateri cogeret, quale nihil aut perfectius aut omnibus numeris absolutius unquam extiterit, &c a quo legendo, etiam si Ethnicus essem, non abstinerem.

D 3

HAYKOB

nerem. Ideoque Ptolemæi judicium laudo, qui Bibliothecam suam imperfectam judicavit, antequam hæ accesserant. Alcoranum Turcicum (nec hoc ex præjudicio dico) indigestum quiddam est, & incompositum; erroribus ineptis, & cum Philosophia pugnantibus, Impossibilitatibus, figmentis, & nugis plusquam ridiculis refertum: Manifestis & apertis Sophismatibus, Ignorantiae Politia, demolitione Academiarum, Eruditionisque omnis relegatione defensum; armis solum & violentia propagatum. Hæ vero sine ullo Armororum beneficio per totum terrarum orbem diffusatae. Observatione non indignum est, quod Philo primus animadvertit, Legem nimirum Mosaicam ab omni immutatione liberam per annos bis mille permanisse: cum tamen aliarum civitatum jura, pro temporum occasione mutari vide-

mus:

mus: etiam ea ipsa, quæ divinam aliquam originem jactarant, ita funditus periisse, ut nullum prorsus eorum monumentum, aut vestigium supersit. Præter Zoroastrem etiam alios ante Mosem scripsisse credo, qui tamen omnes Temporis fato functi sunt. Sua scilicet est sicut Scribentibus, sic Scriptis artas; Quæ licet Authoribus suis supersint, certam tamen habent & definitam vitæ periodum. Hoc solum opus temporis edacis dentibus insuperabile restat, non ante peritum, quam universalis illa flamma res omnes cineres suos fateri cogat.

Sæt. 23.

V Idi qui desiderata Ciceronis opera, & Bibliothecæ Alexandrinæ incendium, non sine gemitu & suspiriis plorarent. Mihi sane librorum multitudo numerosior videtur, quam necesse sit. Vaticanæ Bibliothecæ cineres & urnam æquo

D 4

equi-

equidem animo spectare possem, modo perdita Solomonis opera cum paucis quibusdam aliis recuperare queam. Enoch etiam Columnas transcriptas velim, si propioris alicujus autoritate, quam Iosephi, niterentur, nec nimis Fabulam redolerent. Plura scripserunt quidam, quam alii locuti sunt; pluresque Authores citat \* Pineda in unico opusculo, quam toti terrarum orbi ex usu sunt. E tribus illis eximiis Germaniae inventis duo sunt, quæ incommoditatibus suis non vacant: nec scio, an plus commodi, quam incommodi mortali bus afferant. Non meum solius votum est, sed complurium etiam a liorum præstantiori judicio hominum, ut Synodus aliqua generalis indiceretur, non quidem ad infestissima Religionis dissidia tollenda,

\* In Monarchia Ecclesiastica mille quadraginta authores citat.

da, sed quo fæciliores esset scientiarum progressus, ad easdem in paucos aliquot & solidæ eruditiois Authores reducendas, & innumeram illam Rhapsodiarum multitudinem coercendam, nulli alii rei inservientium, quam studiis & ingenis Tyronum perturbandis, Ar tique & mysterio Typographorum aleando.

Sect. 24.

**N**on satis mirari queo Samaranorum consilium, qui ad Mosis Pentateuchum fidem suam restringerent. Nec minus Rabbinorum interpretationis super Veteri Testamento pudet, quam eorundem defectionis à novo. Villemne illam & degenerem Iacobi progeniem, tantopere olim superstitioni Ethnicae addictam, tam facile ad Vicinorum suorum Idolatriam pertractam, adeo nunc deum pertinaci & improba fide

D 5 Dog-

Dogmatibus suis inhærere , adeo impossibilia expectare ; adeo denique in ipsis Ecclesiæ oculis sine spe ulla conversionis persistere ? hoc sane omne miraculum superat . Hoc idem nobis laudi foret , quod illis vitio vertimus . Idem enim est in causa justa perseverantia , quod in mala pervicacia. Atque hic mihi , frates mei accusandi sunt . Non alii sunt , tam levi , tam fugitivi si de , quam Christiani : non alii qui toties in alias atque alias non tantum Christianismi species transformentur , verum etiam in degeneres illas & contrarias Judaismi , & Turcismi : Nunc eum Prophetam tantummodo vocare contenti , quem Servatorem olim nominare consuerunt , & quem modo jamdudum venisse credebant , cum de integro expectare incipiunt . Pollicitus est Christus fore , ut in unum cunctaque Gregem congregaremur omnes :

omnes : Quando vero , aut quo pacto hæc unitas futura sit , non minus mihi constat , quam de die nonissimo . Ex quatuor illis Religio- nis partibus , nos perexiguam Por- tionem sortiti sumus : Nonnullos interdum accedere fateor , paucos tamen eos , nec qui ad illorum numerum comparandi sint , qui indies . Adversariis nostris adjiciuntur : nec qui à Paganismo deficiunt , sed qui negativa quadam fide homines , ideo tantum in Christum non crediderant , quod nondum apud eos nomen ejus auditum esset . Iudaica autem Religio Christianæ è diametro adversatur , & utriusque Tur- cica . De mole enim Turcica con- vertenda , ut nunc se habet , spes nulla est : Eam si dissolvi contin- gat , aliquid quidem spei concipi poterit , perexiguum namen id , & summa improbabilitate implici- tum . In omni Fortunæ genere Iu-  
D 6 dæi

dæi pervicaces sunt; nec aliud mille quingentorum annorum persecutionibus effectum est, quam ut in errore confirmarentur. Omnia perpeſſi sunt quæcunque jam postea contingere poterunt, idque in causa mala ad adversariorum suorum condemnationem. Persecutio in-  
// consultæ est, & præpostera pro-  
// ganda Religionis ratio, qua qui-  
// dam moroso & iracundo zelo hal-  
// lucinantes, dum infæliciter uteren-  
// tur, non veram tantum Religio-  
// nem, sed impias etiam Hæreses, &  
// malesanas opiniones confirmarunt.  
// Sic primum Fidei nostræ funda-  
// mentum jactum est: nec aliis sunt  
// qui persecutions, numerumque &  
// fortitudinem martyrum justius glo-  
// riantur. Si enim proprie loqua-  
// mur, hæc ferme sola sunt, & vera  
// fortitudinis exempla. Quæ à bellis  
// & prælio petuntur, non tam For-  
// titudinis, quam Audaciæ exempla  
// sunt;

sunt; quorum quæ perfectissima fue-  
re, adulterinam tantum fortitudi-  
nem fortita videntur. Ea omnia si  
severius examines, quæ in vera &  
perfecta fortitudine Aristoteles exi-  
git, nihil aliud, quam nomen me-  
rum in Domino ejus Alexandro  
reperies, nihil aliud in invicto illo  
Romano, Iulio Cæsare. Si qui au-  
tem reperiantur, qui fortiter fa-  
cicendo titulum tam gloriosum me-  
ruere; certe fortiter patiendo, quod  
longe terribilis est, isti præcellue-  
runt, gloriampque illam justius &  
magis heroicē vendicare possunt.  
Illo sane pervenire non cuilibet da-  
tur, non cœlum per flamas petere.  
Multi sunt, quibus non ea mensuræ  
plenitudo, non ea fidei animositas  
contigit, ut examen tam severum  
subire valeant, qui nilominus ser-  
vatorem suum per tranquillitatem  
syncere adorant, habeantq; procul-  
dubio fidem gratam & acceptam in  
oculis Dei.

HAYKOBA

Sect. 25.

**S**icut autem non omnes, qui in bello occidunt, vero nomine milites dicendi sunt; sic nec Martyres omnes illi nominandi, qui Religio-  
nis causa mortem obeunt. Iohan.  
Hus à Concilio Constantiensi hæ-  
resis damnatur; idem martyris ti-  
tulo à suis ornatus est: Utriusque  
partis Theologiæ injurius esset, qui  
aut Hæreticum, aut martyrem fuisse  
negaverit. Sunt proculdubio non  
pauci in terris canonizati, in Cœlis  
nusquam martyres futuri, quique in  
Historiis, & martyrologiis inscri-  
pti, non tam vere martyres sunt in  
conspictu divino, quam Socrates  
olim sapiens ille Ethnicus, qui ideo  
capitis damnatus perii, quod Unitatem  
divinam, fundamentale Religionis nostræ principium, con-  
stanter assereret. Infelicitas ejus Epi-  
scopi sæpe misertum est, qui Antipo-  
dum causa passus est: nec tamen

minor

minor mihi videtur ejusdem de-  
mentia, qui tam levem ob causam  
sacerdotium amiserit, quam stulti-  
tia eorum & ignorantia, qui con-  
demnassent. Non me mendacii, op-  
nor, conscientia arguet, si non mal-  
tos esse dicam, qui terribilem mor-  
tis vultum, si quando digna occasio  
detur, meipso minus reformident.  
Suadet tamen morale illud offi-  
cium, quod Divinis præceptis de-  
beo; suadet illa propriæ essentiæ  
conservandæ cura rei unicuique à  
Natura indita, ne aut propter Ce-  
remonias, aut Politica quædam, aut  
indifferentia perire velim. Nec adeo  
est mihi fides pertinax & impotens,  
ut aut hujusmodi obstaculis cedere  
nesciat, aut ad cætera omnia conni-  
vere, quæcumque manifesta impie-  
tate vacant. Rerum igitur omnium  
fermentum non ciuilium tantum,  
sed earum etiam, quæ ad Religio-  
nem pertinent, prudentia est. Sine  
qua

HAYKOKA

88      RELIGIO

qua nos flammis mandare homicidium est, vercorque ne sic ab igne tantum ad ignem transfeatur.

Sedt. 26.

Cessasse miracula nec probare possum, nec pernego; nedum tempus & periodum cessationis definio. Christo supervixisse è sacræ scripturæ testimoniis liquet, supervixisse etiam Apostolis, & post multos annos in Gentium Conversione revixisse negare non licet, nisi Scriptorum illorum fidem in dubium vocare velimus, quorum ea testimonia, quæ nobiscum faciunt, libenter amplectimur. Veri igitur aliquid habere possunt, quæ de miraculis suis Indicis Iesuitæ narrant, velim equidem vera essent, & alio aliquo testimonio, quam ipsorum Calamis niterentur. His facile fidem habere possunt, qui majus his omnibus miraculum sibi domi quotidie imaginantur, transmigrationem

nimi-

MEDICI.      89

nimirum visibilium clementorum in Corpus & sanguinem Christi. Aquam enim in vina convertisse, quod illæ Canæ fecerat; aut faxa in panes, quod in eremo fecisse suaserat Diabolus, ne miracula quidem dicenda sunt, si cum hoc comparentur. Quamvis, si proprie loquamur, non est miraculum aliud alio majus: Omnia enim ab extraordinaria Divinæ dextræ potentia profiscuntur, quæ res omnes par facilitate transfigit, quæ non difficilior totum mundum, quam unam aliquam creaturam creaverit. Hoc enim etiam in Miraculis est, non contra, & supra tantum, sed ante naturam etiam operari; nec minus miraculum erat Naturam olim creasse, quam ejusdem iam creatæ ordinem, aut mutare, aut transcendere. Angustis nimis finibus coarctat, quisquis sue ratione mentis capacitate metitur divinam Potentiam,

tiam. Deum omnia posse statuo. Ea, quæ contradictione implicita sunt, quo pacto expediat, non assequor, nec tamen idcirco id eum posse negare ausim. Nec video quare ad elapsa revocanda sacula Deus Esdras provocaret, si idem hoc sibi ipsi in manu non fuisset: nec quare id à mortali exigeret, quod ipse non posset. Posse eum non nego, sed nolle tantum ajo ista, quæ nos illum non omnino posse vulgo asserimus. Hoc certe civilius est, nec tamen hac in re Paradoxis patrocinor. Strictius enim loquendo, Potestas ejus idem est cum voluntate ejus, & tum hæc tum illa una cum reliquis Deum unum constituant.

Sect. 27.

**E**DITA igitur olim fuisse miracula credo, & adhuc à Viventibus edi posse non nego: Mortuis vero quæ tribuuntur, non his sane ita

ita facile fidem adhibeo. Adeoque Reliquiarum efficaciam semper suspectam habui: semper ossa illa examinare, semper vestes, reliquamque Sanctorū supellectilem, etiam ipsius Christi, excutere solitus. Crucis ab Helena inventæ unde ea virtus esset, ut defunctos in vitam revocare posset, nō intelligo. Nec quod Constantinus clavos ejus in lupatis gestaret, ideo cum in bello ita incolumem præsto, quin vel equo decidere, vel ab hostibus vulnerari posset. Munus illud Baldvini Hierosolymæ Regis, qui Genuensium labores sumptusq; sibi in bello præbitos Iohannis Baptistæ cineribus compensavit, Piis Fraudibus non minus annumero, quam vel Gladios, vel Rosas consecratas. Qui corpori inhærere Sanctitatem quandam ex anima relictam dicunt, Physicorum more de miraculis differunt, nec rem satis explicant: Quod autem ad Reliquias non

nonita pie affectus sim, partim ex eo accidisse arbitror, quod tenui semper, & dubia Religione antiqua omnia amplectus fuerim: Æternitatem enim solam, quæ omnem Antiquitatem longe superat, nimisrum Deum ipsum admirari soleo. Qui, ut *Antiquus dierum* appellatus sit, non tamen *Antiquus* recte nominatur; qui ante Mundum fuit, post mundum futurus: nec tamen illo ætate grandior. Cujus anni Climaætem non habent, cuius Duratio est Æternitas, multis nominibus Antiquitate venerabilior.

## Sect. 28.

**I**mprimis autem admirari soleo, ex qua tandem re acciderit, ut summa sapientiorum curiositas indisputabile illud miraculum tam negligenter præterierint, *Oraculorum cessationem*: aut quale Rationis deliquium passi ridiculis illis,

lon-

longeque petitis Plutarchi rationibus contenti acquieverint: Supernaturale illud tempore Iosue solstictium Iudæi agnoscunt, cum tamen Eclipſin illam, quæ in Servatoris nostri morte accedit, ab Ethnico quovis agnitam impudenter diffiteantur: Immo hoc \*Dæmonem ipsum fasum esse, manifesto constat. Improbanda certe est illorum curiositas, qui Scripturæ sacræ fidem ad humanæ Historiæ consensum explorant: qui Hestheræ librum ex Megasthenis aut Herodoti Authoritate confirmare conantur. Me hac in re infeliciter curiosum fuisse non diffiteor, donec stulticiam tandem agnoscere coegerit ridicula illa Iustini de Iudæis Narratio, quos, quod scabie nefcio qua graves essent, ex Ægypto pulsos refert. Et sane ex quo res humanas interius mihi nosse contigit,

\* Ex iis quæ Augusto per oraculum respondit.

git, & larvas istas & personas scire, quibus res præteritæ nobis hodie in scenam prodeunt, non multo plus fidei apud me obtinent, quam res futuræ. Non defuere olim qui mecum sentient, ideoque de sua ipsorum vita conscripsere Historias: Hos omnes Moses superavit, non de vita tantum, sed de morte etiam, ut quidam contendunt, confessis commentariis.

Sect. 30.

**M**onstri mihi simile videtur, hæc omnia, quæ passim de Oraculis referuntur, nondum dubiam illam de spiritibus & Sagis sententiam expulisse, tantamque eruditorum virorum multitudinem tam Metaphysicorum immemorem extitisse, ut labefactata, rerum creatarum scala, Spirituum existentiam in dubium vocarent. Equidem semper credidi, jam vero certo comperi, Sagas esse; qui has tollunt,

tol-

tollunt etiam Spiritus, nec aliud quidem sunt, quam indirecte & consequenter, non increduli, sed Athei. Qui ad incredulitatem hanc amovendam spectra videre cupiunt, nulla proculdubio unquam visuri sunt, imo ne magi quidem esse, ut velint, poterunt. Hæresi eos non minus capitali iudicium implicit Diabolus, ab eadem ipsos converrus, si appareat. Ex variis autem modis illis, quibus mortalium animos ludificari solent, nihil mihi plus negotii facessit, quam \* Subditiorum: impostura. Non nisi verisimilia fiunt, quæ de humanis corporibus in Brutorum formas mutatis narrari solent; nec hominis in equum transformandi potestatem habere Diabolum credo, qui ad Divinitatem Christi arguendam saxa in panes mutasse voluit. Fieri posse, ut Spiritus cum hominibus rem Veneream,

\* *Infantum qui à spiritibus supponi creditur.*

HAYKOB

neream, idque utroque sexu exercercent, non ita repugno: Corpus enim aut assumere aut fingere posse credo, quo vel active decrepitæ libidini, vel etiam juveniliori passivæ satisfaciant; ita tamen ut nec in hac, nec in illa, generatio ulla unquam accidat. Ridicula itaque est, & Rabbinis, quam Christianis dignior illa de Antichristo opinio, eum ex tribu Danensi genitore Dæmone nasciturum. Alios esse revera à Dæmone obsecros sentio, alios à Melancholia, alios à Delusionis spiritu; ab aliis Dæmonem celari, ab aliis Deum ipsum, & Angelos prætendi: quod nupera illa Germanæ puellæ defæctio abunde testatur.

Sect. 30.

A Dhæc, non omnes eos, qui Veneficiis, Incantationibus, & Carminibus, utuntur, Magos, quos dicimus, aut Veneficos vocando sentio: Esse enim Magiam quan-

quandam traditionalem, non immediate ab ipso Dæmone, sed à Discipulis ejus secundario perceptam; & eos, qui arcana scientiæ ejus præscripta naeti fuerint, & posse, & solere artem quandam Empiricam, etiam illo non consulto, exercere: iisdem enim naturæ principiis utuntur utriusque; ubi activa passivis apte dispositis accommodata effectus suos sub quolibet Magistro proferunt. Bonam itaque Philosophiæ partem primitus Magiam fuisse opinor, eam in alios atque alios propagatam Philosophiam vocatam esse, nec revera quicquam aliud fuisse, quam ipsos naturæ effectus. Quod à nobis ipsis inventum Philosophia est, hoc ab illo acceptum Magia dicitur: nec dubium, quin multa Arcana & bonis & malis Angelis accepta referre oporteat. Illam Paracelsi sententiam nunquam nisi asterisco positio

E præ-

præterire possum, \* *Ascendens constellatum multa revelat quærentibus Magnalia Naturæ, id est, Opera Dei.* Non pauca esse mysteria arbitror à benigna Angelorum revelatione accepta, quorum nos inventionem ingenii nostris ascribimus; humane enim favere & studere nobis nobiles illos Cælicolas, ut qui similem prope naturam cum ipsis sortiti sumus; Adeoque ex amica Angelorum bonorum præmonitione portenta illa & prodigia Rerum Principum, nec non privatorum etiam interitus prædicentia proficiunt: quæ omnia parum sagax vulgus Casibus & Fortunæ imputat.

## Sect. 31.

**P**Ræter particulares autem istos & singulos, haud scio an universalis etiam Spiritus, toti mundo communis, statuendus sit. Id olim

\* Per *Ascendens constellatum, Genium unicuique statim à nativitate præpositum intelligit.*

Plato

Plato statuit, statuunt & hodie Hermeticorum dogmatum sectatores. Si autem universalis aliqua ejusmodi natura detur, quæ singula & dispersa individua in speciem unam colligat, & connectat, quid prohibet, quo minus etiam sit, quæ res universas uniat? Hoc saltem mihi satis constat, Spiritum aliquem communem, tametsi nostri pars nulla sit, Divinum scilicet, nos intus agere: Hic est Augustæ ejus essentiæ ardor, & scintillatio; Spirituum, eorumque omnium, quæ solis vires non agnoscunt, vita & humidum radicale; ignis, Infernali illi è Diametro contrarius: Almus ille calor, qui olim aquis incubans sex dierum spatio mundum exclusit; Irradiatio, quæ piceas Inferni caligines, abigit; quæ horroris, formidinis, ægritudinis, & desperationis dissipatis nubibus, mentes nostras placidas & serenas reddit.

E 2

Lenes

HAYKOKOY  
TAKIMOTO  
INKOBA

100      R E L I G I O

Lenes & tacitos hujus spiritus afflatus qui in se non sentit, ne explorato quidem venarum pulsu vivere affirmassem. Hic mihi ni adsit, ipsis Tropicis alsurus sum, mediumque Solem ut incolam, lumen desiderabo.

Vt que ubi iam longo funditus molimine Phœbus  
Terga gravat sofi superans sublimia Cancri;  
Max pigræ solvuntur glaciali frigore Ponto,  
Solvitur aethereis Borealis ab ignibus Archæ.  
Sic tuus ut reddit Vultus, redemptibus almis  
Ut mihi solfittis tepuere algentia corda;  
Bruma fugit, repetit regelatos spiritus artus,  
Totaque nascenti rident præcordia vere.  
Quod si vivifici splendor deceperit Oris,  
Aethera nec nostrum divina luce bearit;  
Protinus ignaro torpescunt frigore membra,  
Et mordia patior gelidos aestate Decembres.  
Aetereum nimis, ah! moles hæc carneamentem  
Degravat: illa quidem terreno carcere multum  
Indignata premi; nec originis immemor, usque  
Ad patrias sedes, cognataque Sidera tendit.  
Sento flagrantes medio sub pectore flammæ,  
Heu! non aethereas, Stygiis sed ab ignibus ortæ,  
Quæ caliginibus piceis, fumoque maligno  
Præfocant, si quis melior subnascitur ignis:  
Has, precor, extingua, sic ut divinior ardor  
Excipiat: Nubes animi, Lux optima, luce  
Pelle tua, cùlunque mihi pro sole serena.

Sect.

M E D I C I .      101

Sect. 32.

VERUM enimvero non tantum singulis Regionibus, sed singulis etiam hominibus suos præesse tutelares genios, ut crederem, non difficulter adducerer, tantum abest, ut spirituum existentiam tollam. Vetus hoc est Pythagoræ & Platonis, non nuperum Ecclesiæ Romanae dogma. Hæresi quidem alienum est, & quamvis ex sacra pagina non manifesto pateat, commodum & salubrem usum in hominum vita habiturum; quodque ad dubitationes & nodos complures solvendos prospicit, quæ Philosophia expedire nescit. Si quis autem Metaphysicus, quid de eorum natura videatur, sententiam roget: pauca, fateor, & dubia responsurus sum, negativa pleraque, ut in Deo, aut comparativa respectu nostri, ut qui communem creationem sortiti sumus. Est enim in hac rerum Uni-

E 3      ver-

versitate manifesta creatorum omnium scala , non ea quidem inordinatim & confuse extracta ; sed methodo elegantissima & summa proportione concinnata . Inter ea , quæ nudam existentiam , & quæ vitalis sortita sunt , ingens naturarum discrimen est : inter plantas , & ea quæ sensu prædicta sunt , majus inter hæc & Hominem , multo adhuc majus ; futurum , nisi hic proportio ista non obtineat , inter Hominem & Angelos , etiam majus . Naturam eorum nequaquam sequuntur , qui primam Porphyrii definitionem secuti , immortalitate tantum ab homine distinguunt , nam & homo ante lapsum immortalis fuit , inter cujus tamen & Angelorum essentiam multum interfuisse , necessario sentiendum est . Cum itaque de eorum natura nihil nobis certo constet , non pessima mihi videtur hac in re Scholarum me-

methodus , quicquid perfectionis in nobis subobscurè clucet , id illis magis completum & absolutum tribuentum . Cognitionem arbitror extemporaneam habere , & quod nos non nisi multum diuque cogitando possumus , id illos primis intellectus motibus transfigere ; quæ nos per accidentia & proprietates describimus , ea ab illis per formas cognosci , per differentias specificas definiri ; adeoque illis ea ~~admodum~~ innotesceré , quæ nobis tantum probabilia sunt : illis notas esse non tantum specificas ; sed & numericas quoque Individuorum formas , privatasque illas differentias , quibus singularis quæque Hypostasis (præterquam quatenus ad speciem refertur) ad numericam suam essentiam constringitur : Sicut Animæ facultas inest corporis à se informati movendi , sic illos movendi quidem cuiusvis , nullius vero informandi po-

HAYKOB

104 RELIGIO

tentiam habere. Nos temporibus,  
locis, & distantiæ alligamur : In-  
visibilis vero manus illa , quæ in  
Leonum antrum Habakkukum,  
quæque Philippum Azotum vexe-  
rat , his spretis legibus vecturæ ge-  
nere uia est mortalibus ignoto. Si  
intuitiva cognitione prædicti sunt,  
hujus beneficio , tanquam reflexio-  
ne quadam suas invicem cogitatio-  
nes inspiciunt , mihi pernegandum  
non videtur , quin & nostrarum  
etiam bona pars sit illis nota. Qui  
ad invocationem Sanctorum oppu-  
gnandam , negant ea , quæ hic in  
terrâ agimus , illis innotescere : igno-  
scant mihi , velim , contrariam sen-  
tentiam , donec invenire potero ,  
quid ad locum illum respondendum  
sit , *Gaudium est in confectu Angelorum*  
*Dei super uno peccatore resipiscen-*  
te. Non possum illorum sententiæ  
securè accedere , qui apud magnum  
illum Patrem primi diei opus ita in-  
ter-

MEDICI. 105

terpretantur , ut ex verbis illis , *Fiat Lux* , Angelorum creationem deducant. Quanquam negandum non est , nullam omnino creaturam tantam affinitatem cum illorum natura habere , quantam habet illud in sole & elementis lumen. Quod licet à nobis merum accidens audiat , cum tamen solum & per se subsistit , spiritualis substantia est , & fortasse Angelus. Finge denique lumen invisible , id spiritus est.

Sect. 33.

Sunt isti proculdubio pulcherri-  
ma & summa divini Artificii o-  
pera: Flores , sive (ut ita dicam) pars  
Nihili præstantissima . Illud jam  
sunt , quod nos ipsos aliquando fu-  
turos speramus tantum adhuc , &  
opinamur. Nos amphibium quod-  
dam Animal , partim corporeum ,  
partim spirituale sumus , quod na-  
turæ utriusque medium Dei & Na-  
turæ Methodum contexit , juxta

E 5 quam

quam non nisi media aliqua intercedente natura extrema conjungi solent. Nos Dei spiritum esse Divinæque Naturæ exemplar testantur Scripturæ sacræ. Quod autem Microcosmi, orbisque compendia vocamur, id tantum per lepidum aliquem Rheticæ tropum licuisse putaram, donec tandem judicium diligentius, propiorque experientia, id ita revera esse docuerant. Primo nihil aliud sumus quam ruditis, & indigesta noles, in rerum earum numero, quæ ignavam quandam & torpidam fortitæ essentiam, nondum aut vita præditæ, aut sensu, Rationeve donatæ sunt. Post illa plantarum, deinde Animalium, mox hominum vitam vivimus, postremo Spirituum: ita tandem mystica natura nostra quinque illa existiarum genera percurrentes, non tantum cunctas totius terrarum orbis; sed etiam totius Rerum uni-

universitatis in nobis met ipsis creaturas complectimur. Sic nempe insigne illud sumus & vero nomine Amphibium, non tantum ut reliqua animantia in diversis Elementis vivere natum, verum etiam in aliis atque aliis mundis; Mundum quidem unicum sensus agnoscit, Ratio duos, visibilem alterum, alterum oculis impervium. Alterum nobis Moses descripsisse videtur, alterum vero ita obscure adumbrasse, ut omnia nondum etiam intellecta sint. Priora quidem Genesios capita admodum obscura esse fateor, & quamvis omnia ad literam interpretari, quantum potuit Humana ratio, Theologi conati sint: Probabilis tamen sunt allegoricæ illæ interpretationes, & haud scio an forte mysticæ Mosis Methodo magis congruæ, ut cui in Hieroglyphicis Ægyptiorum Scholis institui contigerat.

Sedt. 34.

**N**ec ut mundum hunc immaterialē investigemus primum mobile nobis petendum erit. Spiritus enim in hac materiali structura libere expatiari posunt, idque omnibus Temporis, Loci, & Motus legibus perinde absoluti, ac si extrema Universitatis mænia transilierint. Corpulentiam si corporibus demas, aut res ultra materialē primam resolvat, Angelorum sedes aperies, quas nihil esse aliud quam omnipræsentem Dei essentiam, salva (spero) Theologia dixisse licuerit: Ante mundum enim creatum Deus revera omnia fuit. Non mundum aliquem novum Angelis creavit, nec certos fines incolendos dedidit: ubicunque igitur ipsius essentia est, ibi & illi sunt, inque ipso locis diversi habitant. Hominibus Deum omnia creasse aliquo quidem modo verum est, nec tamen ita interpre-

tan-

tandum, quasi diviniorum istarum Creaturarum Creatio nostra subordinetur: Utcunque tanquam spiritus ministrantes in inferioribus hisce hominum rebus, quæcunque ille jusserit, volentes & alacres obeant. Deus sua ipsius causa omnia creavit, idque ob aliam causam fecisse non potuit, quam solummodo ad suam ipsius Gloriam; Hanc unam aliunde accepit, reliqua omnia in seipso complectitur. Cum enim Honor foris accedit, in honorante potius, quam honorato positus, aliquid cum creasse oportuit, quod si bishoc honoris officium præstaret, Angelos nimirum in altero illo mundo, Homines in hoc. Hoc quoties negligimus, finis ejus, ob quem creati sumus, obliviscimur; facimusque adeo, ut mundum hunc non tantum creasse Deum peniteat, verum etiam sc̄e non iterum perditurum, jurasse. Mundum uni-

cum

cum esse ex fide tantum constat, non Aristotelis Philosophia , nec enim ille hoc , sicut nec eundem æternum esse , satis unquam probare potuit. Antiquiorum Scriptorum calamis multum olim negotii hæc quæstio attulit; donec tandem hæc omnia Moses expediit nova *Creationis* voce reperta: quæ nihil aliud significat, quam ex nihilo aliquid producere. *Nihil* autem illud appello , quod *Alicui* opponitur; sive, ut accuratius dicam, quicquid Deo contrarium est. Ille solum est , reliqua omnia pendente aliunde essentiam habent, nec in Entium numero , nisi adhibita distinctione, ponenda sunt. Sic itaq; & Generationem & *Creationem* in contrarietate fundatam videmus , adeoque Theologiae Philosophiam consonam. Deus omnia cum sit , *Nihilo* contrarius est , ex quo omnia producta sunt: Sic *Nihil Aliquid* factum est , & Nullitas ab

Omnei-

*Omneitate* informata essentiam induit.

Sect. 35.

**T**ota quidem *Creatio* , seorsim vero Hominis illa , mysterium est. Reliqua omnia solo oris ejus spiritu creata sunt , & ad vocis ejus imperium ex Nihilo emicuerunt : In homine vero fabricando ( quemadmodum rem Textus ordine exponit ) Artificem sensibilem egit ; nec tam creasse hominem , quam fecisse visus est. Cæterorum materiam simul ac seposuerat , ultiro forma aut anima accessit. Cum vero jam hominis structuram ædificarat , alia adhuc & difficilior restabat *Creatio* ; substantiæ nimirum sibi ipsi similis , incorruptibilis & immortalis *Animæ*. duas enim proprietates istas ex Philosophia doceimur , Platone quidem diserte affirmante , nec negante Aristotele. Injicitur etiam Theologiae alias quidam de productione

HAYKOPA

112 R E L I G I O

ctione ejus scrupulus , isque in Germanis auditoriis non mediocri disceptatione agitatus, ea tamen argumentorum paritate & indifference ut nihil dum de controversia statutum sit. Paracelso nequaquam assentior , qui rationem hominis contra conjunctionem faciendi fidenter prescribit: nec tamen istos satis mirari queo , qui ex traduce Animam generari tam pertinaciter negant; cum nullum aliud illis argumentum suppetat , quo fidem suam sufficiant , quam Antimetathesis illa, & Rhetorica Augustini sententia,  
*Creando infunditur, infundendo creatur.* Utravis opinio satis cum Religione congruit , & ad hanc equidem promptius accedereim , nisi objectiuncula quædam usque moraretur , non illa quidem ex aliqua Speculationum subtilitate, sed sensu communis , rerumque observatione profecta , non ex Authoris alicujus foliis

M E D I C I . 113

foliis lecta , sed quæ mihi inter erraticas Cerebri herbas , & zizania subierat . Dico autem æquivocas illas , & prodigiosas monstrorum productiones , quæ ex hominum copulatione cum bestiis accidentur : nisi enim hic Anima humana cum semine Genitoris transmittatur, unde factum est, ut , quæ hinc nascuntur , non bestiæ meræ sint , sed impressionem quandam & tinturam rationis habeant, quanta quidem in organis tam ineptis se valeat exercere ? Nec sane concedendum videatur , Animam dum hic agit undique inorganicam esse , sed ad ordinarias actiones ejus exequendas opus esse , non tantum symmetria quadam & comoda organorum dispositione, sed etiam crassi & temperie operationibus idonea : Non ita tamen quasi hæc carnis moles, visibilisque Structura instrumentum sit, & corpus Animæ proprium, sed

sed sensus potius, id est, manus Rationis. In studiis nostris Anatomicas multa & mystica Philosophandi materies occurrit, qualis ipsos quidem Ethnicos ad Theologiam manuduxit: nec tamen inter plurima illa & insignia documenta quæ in humana Fabrica aperimus, quicquam mihi perinde placet, ac quod nullum organum, nullum instrumentum Animæ Rationalis appareat. In cerebro ipso, quam sedem Rationis dicimus, nihil omnino Brutorum Craniis dissimile reperio: Argumentum sane non contemendum, Animam eo sensu, quo vulgo interpretamur, organicam non esse. Sic est proferpto: Homines nos esse scimus, qua vero pacto ignoramus. Est in nobis nescio quid, quod extra nos esse potest, quodque post nos supererit: mirum vero, aut quid ante fuerit, aut quomodo intrarit nos, id nulla Historia declarari.

Sect.

## Sect. 36.

**H**Æc autem carnis compages, qua ante Resurrectionem Animæ nostra quasi muris concluditur, nihil aliud est, quam elementaris Fabrica in Cineres facile collapsura. Gramen esse omnem Carnem, non tantum Metaphoræ beneficio verum est, sed ad literam, etiam. Hæc omnia quicquid uspiam animantium vides, nihil aliud sunt quam campi gramina ad carnem concocta: in illis quidem crassius, in nobis aliquanto purius. Immo à quibus omnes tantopere abhorremus, ipsi Anthropophagi sumus, non homines tantum, sed & nos ipsos devorare soliti, idque vero nomine non more Allegorico: Hoc quicquid est quod intueris corpusculi, per os intravit: hæc olim carnis fabrica in quadra jacuit, ipsi denique nos ipsos devoravimus. Non opinor sapientem illum Pythagoram

HAYKO  
BOK  
OY  
HAYKO

116

## RELIGIO

ram per Meteimpyschosin ita proprie dictam , impossibilem humanae Animæ in Bruta corpora transmigrationem voluisse. Solam ex reliquis omnibus Loti uxoris Metamorphosin veram fuisse credo: Nam Nebucad-netzaris illa non eo usque progressa est. In cæteris implicitam tantum & moralem veritatem agnoscere. Totam Bestiæ fabricam interire credo, nec aliam ab interitu conditionem sortiri , quam in qua ante donatam vitam fuerat : Animas vero humanas & contrarii & corruptionis expertes corpori superstites esse , & ex naturæ suæ privilegio citra miraculi beneficium supremo superesse funeri ; Fidelium Animas statim à relicis terris cælestes beatorum sedes occupare : Manus illas & fabulas, non vagabundas esse defunctorum Animas, sed Dæmonum ipsorum irrequietos eratores , nos ad maleficia , homicidia , & sce-

MEDICI.

117

& scelera incitantium , sugerentiumque incautis animis, Spiritus illos beatos nullam in sepulchris tranquillitatem adeptos de rebus adhuc Mundanis sollicitos huc illuc errare. Nec raro quidem apparent ejusmodi spectra , Templa & Cœmeteria frequentare solita. Hæc enim vita functorum dormitoria sunt,hic Diabolus, tanquam Victor superbus & insolens , victoriæ sua olim in Adamo partæ trophæa ista & spolia contemplari gaudet.

Sæt. 37.

**H**Æc est feralis illa , quam adhuc ploramus , victoria ; hinc est , quod toties miseri ingemisci mus , O quid fecisti Adame ! Non iis nexibus mundo alligor , atque hoc nomine Deo gratias agere soleo , non iis vinculis ei astringor , quæ vel vitæ cupidiorē reddant , vel ad terrible mortis nomen exaniment. Nec hoc adeo ex eo fit , quasi hor-

horroris ejus sensu caream , quasi  
jam mortuorum viscera toties per-  
trectando,toties Anatomias & Sce-  
leta , cæterasque id genus cadave-  
rosas reliquias inspicio , animum  
mihi torpore quodam stupidum  
reddiderim ; & , quod Pollinctori-  
bus Vespillonibusque accidit mor-  
talis conditionis immeinorem . Sed  
quod terrores ejus omnes serio me-  
ditans , & gravissima quæque ani-  
mo percurrens,nihil plane reperiam  
quod homini , nedum cordato for-  
tique Christiano , animos dejiciat.  
Et propterea nec Primorum paren-  
tum errori succenso , nec aut fatum  
illud commune communiter ferre  
indignor , aut cum fortissimis mori,  
id est , parumper spirare desinere,  
Elementis valedicere , & ad mo-  
mentum temporis quodammodo  
nihil esse , ut continuo Spiritus exi-  
stam. Quoties conditionis meæ dili-  
gentius rationem ineo nec interim  
justam

justam illam omnium moderatri-  
cem , æquissimam justitiæ partem  
mortem cogito , nihil uspiam me  
uno miscrius videtur. Mundi istius  
nugæ , & ineptiæ non universæ im-  
petrarint , ut unius adhuc momenti  
vitales auras carperem , nisi vitam  
aliam sperarem: Nunquam me mo-  
riturum esse si Diabolus persuade-  
re posset , ne isti quidem momento  
superesse : Vulgarem hunc exi-  
stendi modum , Clientelam istam  
solis & Elementorum , tam humi-  
lem , tam vilem existimo , ut hoc ne  
Hominem quidem esse judicem ,  
saltem hoc modo minime vivi , pro-  
ut humana natura dignum est. Me-  
liorem itaque dum spero , hanc vi-  
tam æquo animo amplector , sæpius  
interim melioribus cogitationibus  
mortem contemnens , omnesque qui  
mecum contemnunt , honore pro-  
sequens : nec sane magni cum facio ,  
quicunque reformidet. Hinc milites  
omnes

omnes ultro amplector, pannosumque illum & despicabilem numerum colo, & diligo, qui jubente decurione aliquo non mori recuset. Ethnico, si morte in trepidet, ignosci potest: at Christianus quicunque hic expavescit, in hoc dilemma necessario incidit; Aut nimio hujus vita de fiderio tenetur, aut spe futuræ destituitur.

Sect. 38.

**A**DAMUM statim atque creaturam trigesinta annos natum fuisse statuunt nonnulli Theologi, justa enim ætate virilique statura creatum esse. Enim vero in ætate etiam nostra computanda aberramus omnes; fugiuntque nos menses aliquot, quos accensuisse oportuit. Sumus enim, vivimus & movemur, elementorum imperium sentimus, & morborum improbitati obnoxii sumus in mundo illo altero, in Microcosmo illo verissimo, Matris utero.

utero. Nam præter communem eam existentiam, quam, dum nos Chaos adhuc nostrum habet, dum adhuc in Causarum gremio dormitur, habere credimus, in tribus diversis mundis essentiam sortimur, in singulis quasi gradatim progredi entes. In orbe illo obscuro, Matris utero, breviculum nobis ævum est, ad Lunam computatum: ita tamen, ut brevior sit complurium Animantium ætas, quæ solem visunt: Hic Vita, Sensibus, & Ratione non careremus, quamvis hæc omnia ad actiones suas edendas objecta adhuc commoda & idonea expectent; & solummodo quasi in radice sua, Anima nempe Vegetativa, vivere videantur. Post hæc in hujus mundi scenam prodimus, erigimur, & in aliam prope creaturam migrate videamur: Ratione homines utimur, illam divinæ Auræ particulam aliquatenus manifestantes, nondum

F

autem

autem perfecte & complete , donec tandem hanc secundinam nostram , carnisque exuvias deponere contingat , donec in mundum ultimum , in loca , quæ Paulus effari non potuit , in proprias Angelorum sedes transmittamur . Quædam de Lapide Alchymistico scire contigit : (qui quidem amplius quiddam est , quam sola perfecta Auri exaltatio) Quæres mihi plurima etiam ad Theologiam adjecit : Hinc doceor quo patto incorruptibilis ille Spiritus , immortalis animæ substantia , latitare quodammodo in hoc Carnis domicilio & obdormire posse . Mirandæ illæ & mysticæ Bombicum transmigrationes sæpe mihi Philosophiam Theologia commutarunt . Habent profecto in se hujusmodi Naturæ opera divinum quiddam & arcanum , in quo frustra exercetur Ratio , ad quod lippiant vulgarium spectatorum oculi .

Sect.

Sect. 39.

**V**Erecundiæ , natura obnoxius sum , nec aut aliorum converratio , aut ætas , aut peregrinatio mihi frontem satis adhuc perfri cuere . Habet autem præterea me pudor quidam , quem in aliis raro animadverti , & ut , quod res est , fateor , mortem equidem non reformido , sed pudet ejus . Proh summum Naturæ nostræ dedecus & opprobrium ! adeone nos momento temporis deformari , ut Charissimi nostri , uxor & liberi , ad aspectum nostrum horreant , trepidique resiliant ! En volucres & agreste animantium genus , quæ omnia modo ex ingento timore nos ultro reverebantur , jam omnis officii oblita dilacerare incipiunt . Hoc unum dum forte sœviente tempestate meditatus sum , adeo animum mihi ex hac cogitatione dejici , & ita affici aliquando contigit , ut in immen-

F 2

sam

Sam illam Aquarum Abyssum absorberi me, & abripi, libentissime passurus fuerim: Sic nulli videndus, nulli miserandus periisse; nulli me mirati fuissent, nulli me flessent oculi, nulla mortalitatis documenta dedisse; tristem illam vocem emisisset nemo, *Heu quantum mutatus ab illo!* Nec hoc adeo ex eo accidit, quod membrorum meorum Anatomiae pudeat, quasi aut in ulla corporis parte accusandum mihi sit Naturæ artificium, aut ipse ex nequiore vita turpem aliquem & pudendum morbum contraxerim, qui me escam minus gratiam & salubrem veribus reddat.

## Sect. 40.

**S**unt, qui luxuriante Progenie confisi, in qua tanquam Historia potissima sibi ipsis superstites videntur, & quiove animo mortem excipiunt. Qua quidem in re mihi insigniter ludi & delirare videntur; Ejus enim

enim desideriis hæc omnia indignissima esse, cui mens est ullo modo futuron capax. Id potius exoptet, quod & ingenuæ magis Ambitionis esse arbitror, ut substantia sua Cœlos incolat, quam ut nomine tantum & umbra in terris hæreat. Mundo itaque in totum valedicere morte statui, non de monumento, Historia, aut Epitaphio solicitus ne nudam quidem nominis memoriam alibi reperiendam curaturus, quam in publicis illis & æternis cœlorum Tabulis. Non usque adeo Cynicus sum ut \* Diogenis Testamentum laudem, nec Lucani illud satis gloriosum in totum approbo,

-- *Calo tegitur qui non habet urnam.*  
Moderatori tamen judicio ingenuum illorum consilium laudare soleo, qui propter majorum urnas

\* Suos rogarit, ne sepelendam essarent: baculum tantum mortuo in manum adderens, quo corpus abiogeret.

dormire cupiunt, & quam fieri potest elegantissime in corruptionem transire. Non corvis equideim, aut Graculis vivacitatem invideo, non majoribus nostris ante Diluvium longa illa sacerdotum tædia. Si qua fides Astrologiæ habenda est, annum adhuc Jubilæum superare potero; nondum unam Saturni Revolutionem absolvi, nec mihi ad trigesimum annum palpitavit pulsus, & tamen omnium Europæ Regum, uno excepto, cineres composui. Cæsaribus tribus, quatuor Imperatoribus Turcicis, totidemque Papis coætaneus fui: ipse mihi superstes videor, & solis tædere incipit. Volutates, dum mihi adhuc ferveret sanguis, diesque caniculares æstuarunt, valere jussi; Anteversura mensio senectutis vitia: Res omnes tandem severius contemplari incipio, nec præter somnia & larvas hic quicquam aspicio, nos ipsi nihil aliud

aliud quam personæ sumus, scenæque præstigia.

Sect. 41.

**A**Tatem fateor, servatoris nostri vita annosiorum precari fas est; fas est ætatem illam superare velle, quam ille magis morti idoneam censuit. Quod si canities in Cœlis (dictante Theologia) nulla futura est, si omnes virili & justa ætate resurrecti sumus; quid tandem aliud efficit longævus annorum numerus, quam ut à perfectione illa indies delabamur, ad quam postea revocari oportebit majori miraculo. Spes ulla si esset fore tandem, ut vitiis nostris superstites simus, & à peccato superannati, supplicibus sane genibus implorandi essent Methusalæ anni. At anni incurvant nobis, non rectificant naturam, & vitiosas dispositiones in nequiores habitus convertentes, postremo, quod & in morbis usu

F 4 venit

venit, deplorata vitia secum adducunt. Indies nobis minuuntur vires, indies peccata accrescunt, numerusque dierum hæc reddit innumera. Peccatum illud, quod sedecim annos natus commiseras, non idem erit, licet cætera omnia paria sint, cum quadragenarius fueris. Præter inveteratum enim, nec excusandum peccandi habitum, omnes tunc veniæ impetrandæ causas præcidit nobis judicii maturitas. Omne peccatum eo gravius est quo sæpius committitur: Sicut enim notæ Arithmeticæ, sic peccata augentur, quorum quod supremum locum occupat reliqua universa superat. Quamvis autem fieri non posse existimem, ut quisquam semel recte vixerit, qui non & recte iterum vivere potuerit; Ego tamen nequam transactas horas repetere, nec vitæ filum de integro ordiri velim; non quod me, ut oportuit,

vixisse

vixisse credam, quam causam Ciceron attulit; sed quod, ne etiam deterius, metuam. Quid melius & rectius sit, proiectius me indies judicium docet, sed cogunt affectus indomiti, cogit inveteratus peccandi habitus deteriora sequi. Eadem hodie in ætate jam firmata vitia, quæ olim in pueritia, reperio. Pleraque tunc delliqui, quod puer essem, puer itaque & adhuc sum, qui eadem adhuc delinquam. Accidit ergo, ut quis ante senectutis deliria puer sit, & Æsonis balneo ante annum sexagesimum indigeat.

Sed. 42.

**N**Ec sane ad annum sexagesimum sine eximia Dei providentia deducitur vita; non sufficit tantum bella & firma corporis temperies. Quamvis oleum forte, quod 70<sup>mo</sup> anno satis sit, humidum radicale contineat, 30<sup>mo</sup> tamen anno in nonnullis extinctum comperi. Qui

F 5 justa

justa volumina de vita longa conscribunt, non omnes ejus causas assignare solent. Nam qui à Radicali tantum Balsamo, & vitali sulphure pendere docent, non docent quare Adamus esset Abele longævior. Est itaque vitæ nostræ occultum quoddam & arcanum filum, quod à Divina quidem sapientia modum & mensuram accipit, at non nisi à perpetua illa & insomni providentia, eodem perductum absolvitur. Cui quidem provinciæ administranda, non tantum spirituum, sed & nostræ, sed & omnium creaturarum operæ ignota quadam & arcana ratione inserviunt: Ne igitur immatura querantur funera, quibus sub trigesimum annum obire contigit. Hoc illis cum ipso mundo communne fatum est; cuius structura infragilis, & firmiter compacta ante Crassis suæ terminum & periodum corrueat. Simulatque in eo omnia consum-

summata sint ipse consummabitur, non minus naturaliter extrema illa & universalis febre ante annos sexies mille absolutos, quam ego ante quadragesimum, perituros. Est profecto alia, quam Naturæ manus, quæ vitæ nostræ fila deducit. Nec Antipathias tantum & occultas qualitates ignoramus; & que nos interitus nostri ac ortus latent: Noctu texitur ætatis nostræ, & annorum tela; variisque vitæ casus penicillus nescio quis depingit, quem non videmus: Cujus licet nos ignaros fateamur, erraturum tamen eum non esse certum est, qui dextram divinam subesse agnoverit.

## Sect. 43.

D Uobus illis Lucani versiculis vehementer oblector, ex quo non tantum puerorum more interpretari, sed etiam intelligere contigit:

*Vitiosque Dei celan, ut vivere darent,  
Felix esse mori.*

Pluriima quidem à Poëta hoc egregie dicuntur, à Stoico, credo, genio suppeditata; nec pauca in Zenonis Philosophia, & Stoicorum doctrina reperies quæ è pulpito profecta satis Theologica sunt. Sunt tamen hanc in partem vehementiores isti, qui mortem sibi ipsis conscientes laudant, & Catonem  $\omega\pi\phi\eta\tau\omega$  tantopere extollunt. Et sane hoc non mortem quidem, sed vitam tamen reformidare. Egregiæ plane fortitudinis est mortem contemnere, fortius tamen facit is, qui vivere audet, quoties vita sit morte terribilior: Cujus rei præclarum nobis exemplum Religio præbet: nec enim ad unum illud Jobi comparanda sunt, quæcunque de Curtio, Scævola, & Codro decantari solent. Certe leves esse mortis cruciatus præ morborum carnificina arbitror, adiutuque ad mortem morte ipsa longe acerbiorem judico. Emori nolo,

nolo, sed me mortuum esse nihil curo. Cæsaris Religionis si essem, cum Cæsare quoque exoptarem unico potius ictu absolvı, quam lentis morborum ferris excarnificari. Qui se ipsos extrinsecus tantum contemplantur, propriam vitæ appendicem valetudinem credunt, & corporis sui constitutioni succent, si quando ægrotent; Mihi vero, cui corporis nostri partes explorasse contigit, & scire quam tenuibus filamentis hæc fabrica cohæreat, non semper potius ægrotare nos mirum videtur. Cumque mille sint januæ quibus morti aditus in corpora patet, benignitatem nobis Divinam gratulari soleo, quæ mortem non nisi semel obeundam voluerit. Non tantum morborum improbitate, non Veneni tantum scelere perimus; stulte Bombardarum occidiones, & nuperas necandi artes querimur, vitæ necisque potestatem

statem in nos habet unaquæque manus, & obvio cuilibet multum debemus, qui non occidat. Hoc tantum misericordia solatii superest, Vitam nobis quilibet admirere potest, mortem nemo. Hinc Deus ipse se non exemit; nec enim in carne immortalis esse, nec quod in ea immortale erat suscipere voluit. Prorsum intra carnis mœnia non habitat felicitas; hanc nullum præceptum Opticum his oculis spectandum dabit. Primus Jubilæi nostri dies mors est, & vota sua Diabolum fefellerunt: non tam vita fælices futuri eramus, quam morte sumus. Non est uspiam miseria præterquam in ipso solo, in quo nullus est miseriæ finis. Quod & Stoicus recte judicat, si ad illius sensum interpretemur; Oblitus est se mori posse, qui miseriæ queritur; non in ullius malâ potestate sumus, dum mors in nostra.

Sext.

## Sext. 44.

PRæter istam autem ita proprie dictam & vero nomine mortem, sunt aliæ quædam, quarum meminisse solent Theologi, nec ex in totum opinor, Metaphoricæ. Hujus generis Mortificatio est, qua peccatis & mundo morimur. Duplarem itaque Horoscopum unumquemque habere ajo, humanum alterum, natalem puta; alterum Christianum, nimirum Baptismum; à quo solo, horis illis Combustis & adjectitiis diebus exclusis natales numero; non quicquam me esse reputans, antequam servatoris mei essem, & in Christi Albo ascriptus. Hanc vitam quicunque non vivit, umbra & spectrum est, crassissima licet carne conspicuus. Quotidie moriendum esse, quo immortales sumus moralibus hisce documentis monemur; nec satis recte mili mortem meditari video, quoties

ties Sceleton aliquod aut Calvariam obviis illis cogitationibus contemplor, quæ nobis inde plerumque suggeri solent. Ideoque tritum illud *Memento mori*, in Hypomnema magis Christianum ampliavi, *Memento quatuor novissima*, quatuor illa inevitabilia omnium communia, *Mortem, Iudicium, Cælum, Infernum*. Ipsius quidem Ethnici ultra mortem & sepulchrum prospicientes, Rhadamanthum nescio quem, judicium que subeundum trepidarunt, utcunque id alio quidem modo, & prout Naturæ lumen docuerat. Non satis equidem mirari queo, ex quo tandem oraculo, aut à qua Sibylla vaticinium illud de futuro mundi incendio surripuerint: aut unde illud Lukanus didicerit,

*Communis mundo superest regus offibns astra  
Misturas.* —

Instare jam mundo interitum credo, nec tamen cum aut labefactatum,

tum, aut senio confectum esse, aut unquam ei à seipso oriturum extitum. Supra naturam erat creatio, supra Naturam itidem futura est contraria Annihilatio. His modis eum perdere nihil poterit, nisi solus ex ore Divino spiritus, consumens ille ignis, quo nullum comparandum Philosophia novit. Sunt qui mundi Creationem momento temporis absolutam credunt, ejusdemque exitium pari olim celeritate expeditum iri: Sex autem dies illos ita ex ordine à Mose expositos pro momento habent, & inde potius magni illius operis Ideam in Divina mente expressam, quam operandi methodum declarari docent. Ita reos die novissimo coram tribunali sistendos esse, aut eum fore in Iudicio processum, quem sacra pagina innuere videatur, & qui ad literam commentantur existimant, nequaquam credo. Ineffabilia

bilia enim hujusmodi mysteria modo vulgari & exegetico in scripturis traduntur: cumque hominibus scribantur, non quemadmodum reverse habent, sed quemadmodum intelligi possunt, exponi solent. In quibus tamen variæ pro ingeniorum varietate interpretationes cum Religione recte constare poterunt, nec hujus aut illius Ædificationi ullo modo officiunt.

## Sect. 45.

**I**Nevitabilis autem temporis hujus diem aut annum præfinire velle, non tantum infania convincibilis est, & legibus obnoxia, verum etiam manifesta impietas. Quomodo tandem Eliæ 6000. annos interpretabimur, aut illud Rabbinico communicatum credemus, quod Angelis negatum sit. Hoc sane olim ex Diabolo Delphico quæsum perquam velim; mirum vero quali tandem Amphibologia usurus fuisset.

fuisset. Non ævo tantum præterito varias Astrologorum prædictiones res hæc mire ludificata est, verum etiam hodie complurium Helleboronimis indigentium vaticinia; qui cum nec præterita, nec præsentia intelligent, futurorum scilicet præscii haberi volunt; homines in hoc tantum nati; ut miram atræ bilis efficaciam ostendant, utque \* veterum potius vaticiniorum fidem liberent, quam nova afferant. *Futurum est, ut in diebus illis audiatis bella & rumores bellorum:* mihi non tam vaticinium videtur, quam per omnia usque sæcula, ex quo primum edita est, constans & perpetua veritas. *Tunc erunt signa in Sole, & Luna & Stellis;* Quomodo vero quasi fur nocturnus venturus est, cum signa det adventus sui? Notum illud indicium à revelatione Antichristi

\* *In diebus illis venient mendaces, & Pseudo-Prophetæ.*

peti-

petitum æque obscurum est : juxta vulgarem nostram computationem jamdudum venit. Evidet ut aper- te, quod sentio, loquar, hunc Theologię esse lapidem Alchymisticum propemodum credo : ad cujus in- ventionem licet præcepta inductio- nesque probabiles tradantur, per- paucos tamen reperiū arbitror, qui- bus eundem p̄vestigasse contigit. Instare usque mundo interitum, et iam superiora quæque sæcula credi- derunt, nec illis minus, quam nobis, quotidiana expectatio animos ere- xerat. Et tamen adhuc Sancti illi sub Altari suspirantes expostulant, *Quo usque Domine?* & vereor ut, qui nunc decedunt eandem olim que- relam effugiant, magnum illum o- mnium Jubiläum non sine gemitu & suspiriis expectaturi.

Sect.

## Sect. 46.

Hic tandem Dies magnum il- lud Dei attributum, Iustitiam vindicabit : hic tenebras istas & no- dos facile expediet, in quibus ho- die explicandis vel à sapientissimis tam misere sudatur : Hic quæcun- que in hoc mundo minus æque di- stributa, minus juste administrata videntur, sumnia cum æquitate in futura hæc omnia componet : Hic unus Dies omnes præterlapsos comprehendet ; Hæc est mundi istius novissima scena, in quam ad absolvendam Fabulæ catastrophen universæ denuo personæ reddituræ sunt. Hic solus efficere valet, ut in occulto probi simus, justumque & honestum sine arbitris colamus, *Ipsa sui pretium virtus sibi* : quod ta- men axioma frigidius est, quam ut in immoto & constanti Virtutis tramite animorum nostrorum levitatē coérceat. Dum forte secre- tus

tus aliquando & solus meditor, quo animum à vitiorum turpitudine cohíbeam (quæ quidem ars Senecæ fuit minime mala) charissimorum meorum & præstantissimorum præsentiam imaginari soleo, quibus testibus emoriar citius, quam aliquid turpe, aut indignum admittam. Quod tamen nihil aliud est, quam moraliter bonum esse, non ejus causa, à quo remunerandi sumus ad diem novissimum. Divinum ejusdem institutum æmulatus, omnem de Cælo & Inferno cogitationem ex animo seponebam, si forte sic etiam bonus esse piusque studere possem: Comperi sane me ex liberali quodam & ingenito Virtutis amore eidem etiam gratis servitum esse; non tamen ea animi constantia eandem revereri & colere posse, quin aut ex naturæ imbecillitate, aut tentatione aliqua graviuscula oblivisci ejus contingeret. Cineris

neris itaque nostri resurrectionem assidue cogitare, eorumq; omnium, quæ hic pie recteque conati sumus, accipienda præmia, hoc solum actionum nostrarum vita, & animus est. Hoc si demas, Religio Sophisma est, Luciani, Euripidis, & Juliani impietas, non blasphemia sed subtilis veritas; & cordate tantum Philosopherantur Athei.

## Sect. 47.

**M**ortui quo pacto resurrecturi sint, nullus quæro. Possibilia tantum credere non Fidei est, sed Philosophiæ. Multa sunt in Theologia verissima, quæ nec ratione probari, nec sensu confirmari possunt: multa itidem in Philosophia ex sensu constant, quæ ratione demonstrari nequeunt. Quæ enim unquam rationes cuiquam persuaserint Stylum Nauticum ad septentriones converti: cum tamen hoc & possibile & verum sit, & si unicum

cum sensus experimentum accesserit, non difficulter credibile. Credo cineres nostros dispersos passim & dissipatos recollectum iri; credo post tam varias tam longas peregrinationes, post tot tantasque per mineralia, per plantas, per animalia & clementia transmigrations ad proprias iterum formas divinæ vocis imperio reducendos, iterum ad primævam & prædestinatam sui corporis figuram instaurandam olim coituros. Cum jam mundus crearetur in species suas digesta est indigesta illa moles: idem cum peribit, in singula individua digerenda erit. Sicut autem in Creatione distinctæ rerum omnium species in eadem massa confusæ latuerent, donec tandem Congeriem illam in alias atque alias formas se crevisset divinæ vocis fæcunditas: sic olim putres istas reliquias, ita per innumera formarum genera dispersas,

sparsas, ut cui jam corpori debeatetur oblitæ videri possint, ad suum quaque individuum, ad suam quaque figuram Deus omnipotente voce die novissimo evocabit. Tunc demum Adami fæcunditas, tunc seminis ejus apparebit contagio, in tot myriadas dilatatas. Admirari sæpe soleo artificiale illam Mercurii resurrectionem, qui, postquam in mille formas mortificatus fuerit, suam tamen iterum emergens recipit, fitque idem ipsum quod ante fuerat. Si enim Physicorum more Philosophandum est, insensibilibus id genus corruptionibus non intercunt illæ corporum alterabilium formæ, nec à sedibus suis faciliunt, ut vulgo credimus, sed in partes penitiores tantum & inaccessas se recipiunt, & colligunt, in quibus ab adversariorum impetu proteguntur. Plantam in cineres redactam videns contemplativus à G Scho-

Scholis Philosophus , hinc formam protinus perire & in æternum valedicere credit. Cum tamen hic formas non perire Artifici sensibili constet ; sed tantum in partes incombus-tibiles abscondisse se , ibique à voracis ejus elementi actione tutas latitare. Hoc experientia compertum est : Artis enim opera ex Plantæ cineribus Plantam ipsam revocari , & ex favillis in folia & caulem redire vidimus. Quod ergo in inferioribus istis ars humana potest , quæ Blasphemia est negare id ipsum in præstantioribus posse Omnipotentis Dextram? Hæc est mystica illa Philosophia , à qua nemo revera doctus atheus discedit , quin potius visibili bus hisce experimentis indies proficiens , tandem vero nomine Theologus exit : nec per somnium tantum ut Ezechiel , sed manifestos & visibles Resurrectionis typos vigilans intuetur.

Sect.

Sect. 48.

R Enatos autem duæ nos sedes protinus excepturæ sunt , eæque inter se omnino contrariæ , Cœlum & Infernum. Hæc quid , aut ubi sint , determinare , meam sane Theologiam superat. Apostolorum ille eloquentissimus , cui Cœli crepuscula videre datum est , negativam tantum descriptionem reliquit : *Quæ oculus non vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis venerunt.* Seipso exutus est , ut ea videret , quæ , cum ad se redierat , eloqui non poterat. Sancti Johannis descriptio per Chrysolites , Smaragdos , & id genus gemmas facta , crassum hoc cœlum , quod intuemur , non satis pro dignitate exprimit. Ut ergo rem brevi expediām , ubicunque locorum ita omni genere fælicitatis abundet anima , ubicunque immensus spiritus ejus appetitus ita saturatus requiescat , ut nihil amplius , nihil aliud cupiat ,

G 2

hic

HAYKOB

148 R E L I G I O

hic cœlum revera futurum arbitror.  
Hoc autem solummodo ex ejus Es-  
tentia fruitione accidere potest, cu-  
jus infinita bonitas, non suis ipsius  
tantum desideriis, sed etiam votis  
nostris inexplebilis satiandis suf-  
ficit. Ubiunque se nobis Deus in-  
tuendum præbet, ibi cœlum est,  
etiamsi intra aspectabilis hujus  
mundi fines. In cœlo itaque versari  
potest humana Anima ubiunque  
fuerit; etiam corporis sui parietibus  
adhuc inclusa: Cumque in corpore  
suo habitare desinet, in Anima sua,  
hoc est, in creatore suo habitare po-  
terit. Sic dici potest Paulus, sive in  
corpore, sive extra corpus, in Cœlis  
suisse. Qui in Cœlo Empyræo Cœ-  
lum statuunt, excidi mundani im-  
memores sunt: Pereunte enim hoc  
mundo aspectabili, Cœlum Empy-  
ræum, aut aliquid Vacui simile, o-  
mnia fient. Qui tunc ubi Cœlum  
sit quæsiverit, quærat idem ubi sit  
divi-

M E D I C I . 149

divina præsentia, aut beatificæ vi-  
sionis gloria. Turpiter in Philoso-  
phiam peccavit Moses, utcunque  
omni Ægyptiorum sapientia erudi-  
tus, cum Deum hisce Carnis oculis  
vidisse vellet, & à Creatore suo, hoc  
est, ab ipsa veritate contradictionem  
peteret. Qui ex Parabola illa, in qua  
Dives ex Inferno Lazarum in Abra-  
hami sinu alloquitur, duo hæc loca  
non procul inter se distare arguant,  
adeoque extrema illa in eadem pro-  
pe vicinia habitare, de glorificatis  
creatulis crasse nimis judicant, qua-  
rum oculi Sole ipso perspicaciores,  
ad extrellum quodque sine Speci-  
llis facile pertingent. Si enim visio-  
nis facultate usuri sunt glorificati  
oculi, non angustiores fore tunc vi-  
sus limites arbitror, quam in quibus  
hodie spatiatur intellectus. Corpora  
duo supra Sphæram decimam, aut  
in Vacuo collocata, quernadmodum  
philosophatur Aristoteles, se mutuo  
visu-

G 3

visura non esse assentior ; deest enim ejusmodi corpus , & medium quod species sensibiles ab objecto ad sensum trajiciat ; ubi vero nec medium ejusmodi futurum est , nec lumen quod medium rite attemperet , & nihilominus perfecta visio , obmutescere sine oportebit Philosophorum placita , & opticam magis exquisitam adhiberi .

Seit. 49.

**I**Gnem esse Inferni Essentiam non possum statuere ; quid tandem rei sit Purgatorius ille ignis , non intellico ; nec quo pacto Animæ substantiam , aut depasci aut purgare valeat . Flamas illas sulphureas , quas Scriptura memorat , non de ea Gehenna intelligi opinor , quæ nunc est , sed quæ futura ; in qua omnes cruciatuum nostrorum numeros ignis absolvet ; corpus enim & subjectum habiturus est , in quo Tyrannide suam exerceat . Opinantur nonnulli ,

iique

iique ordinis Textuarii Theologi , ignem hunc eundem specie cum nostro futurum . Mirum quidem hoc videri possit ; Demonstrare tamen potero , quo pacto etiam ignis ille corpora nostra deprædari , nec tamen consumere queat . Reperiuntur & in hoc mundo materiali corpora quædam in flammis potentissimis insuperabilia , quæ , quamvis ignitionem & liquationem patiantur , perire tamen nesciunt . Scire perquam velim , quo pacto Moses igni actuali vitulum aureum calcinaverit & in cineres redegerit : Misticum enim metallum illud , Aurum dico , cuius solarem & cælestem naturam admiror , ignis violentiæ si objicias , ignescit tantum & liquefit , non consumitur . Sic quando Corpora nostra , partibus volatilibus & caducis ademptis , auream quandam temperiem , firmam nempe , & invitram reformatâ sortientur , ut maxi-

G 4

me

HAYKOBA

152 R E L I C T O

me ab ignis impetu patientur, usque tamen in mediis flammarum annexibus jacebunt nonquam peritura. Si autem hujus tantum elementi violentiam subitura est haec mundi fabrica, multa profecto corpora impune effugient, nec coelum tantum in exitium ruiturum non est, sed ne terra quidem; immo magis esse terratum demum incipiet: nunc enim terra non est, sed nescio quid exigue, aere, aqua, & terra compositum. Tunc vero his omnibus purgata sui ipsius similius exibit, nimurum, Cinis. Qui inter Philosophos mundum igne periturum opinati sunt, nihil minus intellexerunt quam Annihilationem, à Causis quidem sublunaribus nonquam profetaram. Ejus enim elementi propria & suprema actio vitrificatio est: Unde Chymici quidam non illepide dicunt vitrea omnia & Crystallina ex ultima conflagratione evasura. Nec est

M E D I C I . 153

est cur ad istam *Annihilationis* vocem horreamus, aut Deum, quae creavit perditum, miremur. Cum enim qui ipse Microcosmus est, & tunc revera ita esse apparebit, Homo adhuc restet, non dici potest mundus periisse. Oculi Divini, & fortasse, cum glorificati fuerint, nostri etiam, Mundum in hac ejus Epitome, & compendiosa essentia perinde videbunt & contemplabuntur, ac hodie in spatio hoc & explicato volumine. In ipso Plantæ semine jam folia enata, jam flores & fructus perspicunt & divini oculi, & intellectus humanus, utcunque haec sensus fugiant. Quae enim adhuc in potentia sunt, respectu sensuum, ea quasi jam existentia intuetur intellectus. Hoc modo Deus omnia intuetur, nec opera sua in Epitome minus plene contemplatus est quam in justo volumine; non minus totum mundum in brevi illo Diei sexti

G 5 En-

HALKA BUCHENBERG

154 R E L I G I O

Enchiridio, quam in sparsis suis, & immissis operibus quinque præcedentium.

Sed. 50.

PER flamas & corporeos cruentatus à plerisque describi solet infernum, eadem plane methodo, qua cœlum à Mahometo. Hæc sane horrore & strepitu vulgi aurem territat. Si vero nihil gravius Infernum habeat, non dignum est, quod cœlo è diametro opponatur: Cujus felicitas ejus nostri partis erit quæ eam melius & rectius percipere poterit. Dico autem immortalem illam Essentiam, illam à Divinitate deductam Coloniam, Animam scilicet. Verum enimvero ut sub terra infernum statuamus, certe eandem Dæmoni circumundam partim negare non possumus. Nemis crasse loquuntur, qui in ardéibus illis montibus collocant, qui quidem vulgo infernum repræsentant. Dæmonis

do-

155 M E D I C E.

domicilium est cor humanum. Gehennam ipsam, ipsam Luciferi regiam intra meipsum aliquando sentio, & tanquam redivivus Legion, Dæmonum tumultuantem turbam in pectore circumfero. Tot profecto inferna sunt, quot olim mundos Anaxagoras creditit: nec cum septem essent in Magdalena Dæmones simplex erat atque unicum infernum. Suum enim sibi ipsi infernum est unusquisque Dæmon: satis paenarum secum circumfert, nec spatio ampliori ad supplicium opus est. Sic & Animus peccatorum conscientia exagitatus, umbra quædam est, & præludium inferni. Quis non miserando istorum consilio ignoscit, qui sibi ipsis mortem conscient? Hoc ipsum Dæmon facturus est, si modo hoc ipsi in manu esset; id quia non est, sine fine miser est, & ideo tantum miserrimus, quia immortalis.

G 6 Sed.

Sect. 51.

**N**unquam equidem ad inferni nomen horrere soleo, quo nomine & Deo gratias ago, & mihi gratulor. Non unquam ad ejus descriptionem expallui: ita cœlo plerumque contemplando inhæreo, ut prope Inferni ideam ex animo deleverim; sollicitus potius, ne illius gaudia amittam, quam ne hujus cruciatus patiar. Satis pœnarum est illis excidere, nec opus est graviori Inferno. Nunquam me vox illa terribilis à peccando deteruit, nec quod aliquid unquam recte fecerim, huic nomini acceptum fero. Deum reveror, non reformido. Efficient beneficia ejus, ut ante me peccatorum pudeat, quam pœnarum metus occupet. Hac ratione non nisi coactus, & tanquam extremo remedio commotus utitur, idque potius ad deterrendos à peccato impios, quam quo bonos ad se colendum incitaret.

Quem-

Quemquam unquam in Cœlum metu coactum fuisse non arbitror. It tandem honestè Cœlum petunt, qui Deum sine Gehenna culti erant. Reliqui omnes qui Gehenna formidine officium faciunt, mercenarii sunt: & utcunque se servorum nomine venditent, verna tantum & Dei omnipotentis mancipia.

Sect. 52.

**U**T autem bona fide agam, & simpliciter quod res est loquar, quoties vitæ meæ casus & discrimina recensens Divini digiti tutelam reputo: nihil est, quo cunque aspicio, nisi immensus benefiorum cumulus, tum in universum genus humaanum, tum seorsim in meipsum congestus. Quæque alii infortunia, supplicia, miseras, & res aduersas vocant, mihi qui rem penitus excutio, non tantum in effectus visibiles defigens oculos, ea omnia, & apparent, & revera semper eveniunt, occulta & quasi

quasi dissimulata benevolentiae ejus munera: sive hoc mihi ex affectuum præjudicio accidat, sive quod æquius & faventiori animo omnia ejus beneficia excipiam. Singularis plane sapientiae est, omnes Dei actiones ita perspicaciter & sine affectibus judicare posse, ut semper iustitiam ejus à misericordia distinguentes, duo illa nobilissima attributa ne confundamus. Favente tamen Logica etiam ille dissertatus est, qui de Administratione Divina ita distinxerit, ut vel Iudicia ejus in Beneficiorum numerum afferat. Est enim Deus erga omnes misericors, quippe cuius tanta sit in pessimos facilitas, quantum ne optimi quidem merentur. Et si eum in hoc mundo neminem punire dixero, ut maxime Paradoxum sit, absurdum tamen non est. Homicidii reum si forte Iudex multatantum irrogata absolvat, quis demens non potius Iudicis clementiam admi-

admiretur, quam aut hoc supplicium nominet, aut sententiam illam iniuste ferat? Crimina itaque nostra capitalia cum sint, nec tantum mortis, sed & æternæ damnationis reos agant, hæc nos damno aliquo, aut morbo, aut infortunio si luimus, idque fatis habet Divina clementia: quis furor est, hoc supplicium potius quam summam misericordiam nominare, potius sub Iudicij fascibus queri, quam Clementiae sceptrum admirari. Eum igitur adorare, cole-re, & admirari Gratitudinis officium est, quod ut præstemus, & natura nostra, & vita conditio obligat: eumque me cogitationibus istis adorare, qui illas optime novit, negaturus non est. Cœlo, & ejus felicitate ut potiar, accidentale est, nec enim hoc agit pietas mea: felicitatem illam minime promoveri, vix salva modestia expectare possum. Duo enim novissima omnium communia præmia & pœ-

& pœnæ, ita per summam clemenciam statuuntur ut nec pro merito, nec ex proportione factis respondeant; hæc enim merita nostra infinite superant, illis longe graviora commeriti sumus.

Sect. 53.

**I**N Christum non credentibus nulla salus: hoc est, ut quidam interpretantur, post Christum natum: at de præcedentibus etiam sæculis intelligi Theologia docet. Unde fit, ut Philosophorum illorum optimorum, sive Heroum exitus, qui ante Incarnationem decesserunt, multum diuque in animo versare soleam. Iniquum est horum Animas in Infernum deturbare, quorum virtæ nobis adhuc virtutis & pietatis exempla præstant. Cum autem Infernum in tot Regiones divisum sit, æquum sane fuerat, ut his etiam Limbus aliquis statueretur. Quid tandem dicemus, cum commenta illa

Poë-

Poëtica in Veritates exire, & fictas illas Furias in non fictos Dæmones mutari videbimus? Quam attonitis illi auribus hanc de Adamo Historiam excepturi sunt, propter eum plectendi de quo nil unquam audierant? Illine, qui originem suam è Diis deduxerant, se infælicem hominis peccatoris progeniem experientur? Arrogantis plane ingenii est Dei omnipotens actiones, & Divinæ Administrationis æquitatem in Controversiam adducere. Si, ut me docuit, sic & alios doceret animi humilitas, immensam illam Creatoris & creaturæ distantiam contemplari, si unam hanc Pauli similitudinem serio perpenderemus, Num dicet figuratum fidori, cur me tale fecisti? Certe insolentibus istis rationis disputationibus rectius occurreretur, nec definitivam Dei sententiâ ex Cœlo aut inferno repeteremus. Qui ad rectam Rationis normam, & legem vivunt, vivunt

HAYKOB

vivunt tantum ex Generis sui natura, quod & Bruta Animantia faciunt: nec ullum actionibus suis præmium postulare debent, cum sololummodo naturæ suæ dictatis, ut oportet, obtemperent. Patet itaque quod deinceps omnibus necessario patebit, nullam omnino salutem, nisi per Christum dari. Quam veritatem vereor ne magna illa Virtutis exempla olim confirmatura sint, adeoque in seipsis experiantur, nullam in terris actionem ita omnibus numeris absolutam & perfectam esse, ut Cœlum sibi jure vendicare queat.

Sect. 45.

**N**Ec sane aut horum, aut aliorum ullorum vitas cum ipsorum Doctrina per omnia congruisse arbitror. In suæ ipsius Ethicæ præcepta peccasse Aristotelem satis constat: Nephritidis Paroxysmum sine gemitu non pertulere Stoici, qui tamen

tamen affectus omnes strenue damnantes, in medio Phalaridis Tauri ridere jubent. Sibi ipsis non constant Sceptici prædicantes se nihil scire, nam etiam cum hoc dicunt sibi cæteris omnibus plus scire videntur. Diogenem ajo hominem sui sæculi arrogantissimum fuisse, quique honores omnes majore animi ambitione repudiaret, quam Alexander quæreret. Insigniter hic nobis imposuere vitium & Diabolus: quo studiosius vitavimus, eo penitus illaqueati sumus. Duceim Venetum, qui injecto in undas annulo, Tethyn uxorem ducit, prodigum non voco: Ritus enim solennis est, & Reipublicæ utilis. Philosophum vero illum, qui nummos suos ad vitandam avaritiam in mare projectavit, insignem profecto nepotem dixisse non dubito. Non via trita, & publica ad Virtutei iritur, non è nebulis istis & ænigmatibus peccati faci-

facile expedimur. Religioni juxta ac virtuti Panoplia quadam ad perfectionem opus: qua ab hoc vitio muniti cum illo progrediamur. Et sane prudentiores isti, qui Rationis ductu & filo utuntur, citra veniam peccant; Rudiores identidem sine dedecore impingunt. Ad unicam Actionem iusta bonitate absolvendam tanta circumstantiarum turba requiritur, ut sine præceptotibus & libris bonos & probos esse non liceat. Usu autem venire solet; ut hominum praxis non pari gressu cum Theoria procedat, immo sèpius in contrarium ambulet. Rectum bonumque natura agnoscimus, natura deteriora sequimur. Facundia illa, qua apud alium valui, nullum pondus apud meipsum habitura est. Vitiosus nobis appetitus inest, qui docta quidem Rationis præcepta patienter audiet, non alia facturus, quam quæ libuerit.

Omnès

Omnes denique monstra sumus, partim ex Bruto, partim ex homine composita: Opera danda est, ut sapientem illum Chironem, quem Poëtæ fingunt, imitati, hominem bestia superiorem statuamus, sensusque ad Rationis pedes sedeat. Postremo omnes cum Deo servari velim, paucos servandos esse cum hominibus statuo: tenui adeo ponticulo, viaque angusta ad vitam transiri. Hi tamen angustiori limite, quam Christus unquam voluit, Ecclesiam Dei includunt, quicunque intra particulares aliquot nationes, ecclesias, aut familias coercent.

Sect. 55.

Qui Dei Ecclesiam Strabonis tunica involventes intra solos Europæ fines cohibent, non minus Geographiæ periti videntur, quam olim Alexander, qui se universum terrarum orbem perdomuisse credit,

dit, cum nondum dimidium ejus subjugasset. Esse enim, tum in Asia, tum in Africa, Ecclesiam Dei, inficiari non licet, nisi A postolorum peregrinationes, martyrum obitus, conciliorumque complurium sessiones in iis locis habitas obliviisci velimus; quæ, ut judicio etiam reformato approbamus, ita tum habita fuisse fatendum est, cum adhuc Ecclesia nostra in Cunis vagiret. Nec æquum est, ut quoniam pauca sunt, de quibus nobis cum illis non convenit, eaque forsan humano judicio graviora, quam divino, à Cœlo nos invicem excommunicemus; nedum Christianos illos, qui omnes quodammodo martyres sunt: qui, quod nobiliss est, fidem suam Persecutione propugnantes, cultum illum Deo in Flammis præstant, quem nos in Aprico. Numerum quendam esse electorum, & multos servandos, fatemur omnes: at si quis universas

no-

nostras omnium sententias collectim inspiciat, nec ulla jam salus erit, nec ulli servandi: Damnat nos Ecclesia Romana, nos illam: nostræ Ecclesiæ doctrinam subreformati & sectarii Damnationi adjudicant, hos omnes Atomistæ, & Familistæ, reprobat, & hi illos: sic Cœlum, quod nobis pollicita est Divina Be  
nignitas, opinionibus nostris & do  
gmatibus ipsi nobis metipli certa  
tum præcludimus. Sanctum Petrum non unicum esse oportet. A sectis, & Ecclesiis particularibus occupantur portæ Cœlestes; aliquique vicissim ab aliis introitu prohibentur. Cœlum omnes petimus invitatis & indi  
gnantibus aliis: vereorque, ne ex  
minore, dubium Charitate, an ma  
jore ignorantia, non tantum in no  
stræ, verum etiam alienæ salutis fun  
damentalibus errectur.

Sect.

Sect. 56.

MUltos humana sententia damnatos servari arbitror, & multos vicissim damnari, quos illa Electis annumerat. Miranda certe, & inopinata, tum misericordiae, tum justitiae exempla in Iudicio extremo spectaturi sumus: ideoque aut hos, aut illos definiri, non tantum in homine Stultitia est, verum etiam in ipsis Dæmonibus insolentia. Spiritus enim illi, utcunque sagacissimi, haud facile de servandis divina re possunt. Id enim si possent, laboribus suis jamdudum supersedissent, non amplius peragratis terris devorandos quæsituri. Qui legem severe interpretantes, Solomonem Damnationis reum agunt, eadem quidem opera non seipso tantum, sed & universum genus humanum damnant; per literam enim, & scriptum Dei verbum nemo mortaliū à Mortis potestate eximitur:

Est

MEDICI. 169

Est autem prærogativa quædam Divina, & voluntas arbitratia, Legis litera superior, & à cuius solo beneficio salutem speramus. Hæc via Solomoni in Cœlum patuit, nec ipsi minus, quam ipsius judicibus.

Sect. 57.

Innumeram istam Multitudinem, & immensa corum agmina, qui salutem ambient, qui acus istius foramen transire cogitant, attonitus sæpe admirari soleo: Nomen illud & Compellatio, *Grex parve*, pietatem mihi dejicit non consolatur, præsertim cum meam ad meipsum reversus vilitatem meditor, quam præ cæteris omnibus longe humiliam judico. Anarchiam in Cœlo futuram non arbitror; sed ut inter Angelos Hierarchiz sunt, ita inter Sanctos, gradus quosdam fore & ordines dignitatis. Evidem non ordines illos supremos affecto, non ea est animis ambitio; Illud tantum

H in

lutis in eandem esse causam statuo, quæ Electionis fuerat, Dei nimurum Clementiam, & beneplacitum, antequam aut ipse essem, aut Orbis fundamina jacerentur. Christi olim oratio fuit, *Antequam Abrahamus esset ego sum.* Quod tamen aliquo modo de meipso dicere possum; non enim ante meipsum tantum, sed & ante Adamum fueram, nempe in Idea divina, in Synodi ejus Decreto, quæ per omnem usque æternitatem habita est; Quo sensu mundum hunc ante Creationem fuisse ajo, finemque habuisse, antequam inciperet; sic ipse mortuus sum priusquam viverem, mortuus in Paradyso, utcumque sepeliendus in Anglia, ante Cainum natum ex Eva abortivus.

## Sect. 59.

Z Eli insolentes, qui fide tantum freti opera dant, merita non tollunt; Fidei enim Efficacia

H 2 con-

in votis est, quod & abunde fælicitatis fuerit, ut in extremis Cæli agminibus extremus subseparar.

## Sect. 58.

**M**E in numero Servandorum esse pro certo quidem persuasum habeo, nec tamen sic ut ita esse dejerare ausim. Constat mihi videtur, & citra omne dubitationem credo, urbem quandam esse quam Constantinopolim nominant: Hoc vero jurejurando affirmasse perjurii genus est; cum ejus rei certitudinem nullo sensuum testimonio exploratam habeam. Sunt fateor, non pauci, qui indubitam certitudinem jaçtant; attamen si quis serio & submisso judicio animæ suæ vilitatem reputaverit, multis profecto dubitationibus continuo occurret, adeoque minime sibi opus esse illud Pauli præceptum comperiet, *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem confite.* Salutis

HAYKO

172

## RELIGIO

confisi Deum quodammodo ad conditionem adigunt, & arte quadam sophistica Coelum vendicant. Decreverat Deus illos tantum, qui canum more aquam lamberent, clavis Midianiticæ gloriam reportaturos, nec tamen ideo poterat quisquam eorum hanc gloriam, aut jure vindicare, aut se hoc nomine promeruisse, credere. Fidem veram, & quam Deus exigit non tantum signum & indicium, verum etiam medium salutis esse, non nego, hæc vero ubi invenienda sit, prorsus ignoro. Si autem Discipuli ipsi, Familiares illi Servatoris nostri, fidem, quantum est Sinapis granum, non habuere, quod adeo ipsis objectavit; quantula tamen movendis montibus suffecisset, illam certe, quam nos ja&ctamus, aut nullam aut per exiguum esse oportet. Hic Fidei meæ tenor est, multa quidem singularia, multa ad abnormem affectum

MEDICI.

173

fectum meum accommodata complectens; quæ nisi maturiori aliorum judicio arrideant, omnia repudio, iis tantum patrocinatus, quæ Doctissimorum calculus approbaverit.

---

## PARS ALTERA.

Sect. I.



UOD autem ad Charitatem, alteram illam virtutem attinet; sine qua Fides nihil aliud quam notio est nullius existentiæ: Ingenium illud misericors, & humanum, quod à Parentibus accepi, fore semper, & ad scriptas præceptasque Charitatis Leges formare conatus sum. Et si mei ipsius Anatomiæ recte calleo, ad Virtutem

H 3

hanc

hanc formatus, & factus à Natura videor. Is enim sapi, qui omnis hominum Generis societatem amplector, nec ab ullius consuetudine abhorreo. In Diæta, affectibus, aëre, & similibus, Antipathia, seu potius indole suæ corporis mihi nulla est. Ranas, Testudines, & Fungos, Galorum dapes non miror, non Iudeorum Locustas; eadem etiam quoties adesse contigit una pransurus, nec meus hæc magis, quam illorum Stomachus aversatur. Olera è Cæmeterio non minus libenteredo, quam ex horto lecta. Non Serpente, Scorpio, Lacerto, & Salamandra visis territus resilio, non Bufo, aut Vipera conspectis lapidem quero. Vulgares Antipathias, quas in aliis sentio, in memetipso non reperio: non innatas Gentium inimicitias, non Gallum, Italum, Hispanum, aut Belgam ex præjudicio intueor: Sed in

in quibuscumque ingenium, aut mores, æque probatos reperio, hos omnes aliquatenus amplector & collo. In Climate quidem octavo natus sum: ita tamen ut ad unum quodque æque natus & constellatus videar. Non ejus sortis planta sum, quæ non nisi in hortis vigeat. Quodlibet Cœlum, quælibet Regio mihi Patria est; & quicunque me locus, aut meridianus habeat, in Anglia sum. Naufragus fui, nec tamen aut Ventos aut fluctus odi. Sæviante tempestate, aut meditari, aut ludere, aut dormire possum. Omnipotens denique rem nullam aversor: Mendacii me argueret conscientia, si præter Dæmonem unum, me ullam essentiam ita detestari aut odisse dixero, ut in gratiam nequeamus redigi. E vulgaribus odii objectis si quod sit, quod contemno & rideo, non aliud est, quam prodigiosum illud & multiceps mon-

strum, omni Religioni, Virtuti, & Rationi inimicum, Vulgum dico, quem si disjunctim & seorsim contempleris, Homines quidem vides, & Dei Creaturas Ratione prædictas, idem ingens bellua est, Hydra ipsa monströsior in unum confusus. Hos stultos vocare Charitas non vetat, nec enim eos alio nomine dignati sunt Scriptores divini: Hoc Solomon in Canonica scriptura prodidit, quod adeo nos inter fideli articulos recipere tenemur. Vulgum autem cum dico, non plebeculam tantum, & infimæ fortis homunciones intelligo. Est & inter Patricios plebeia quædam & ignobilis, turba, ex eodem prorsus luto factam diceres; Hominum quidem genus ipsis Mechanicis contribule, utcunque Animi tenuitatem deaureret Census, & Crumena pro stultitia transigat. Sicut autem in suppeditandis rationibus nonnunquam accidit,

cidit, ut aliquis inferioris notæ in solo loco positus, reliquos superet: Sic pluris sœpe æstimandus est spretus aliquis & contemptus homuncio, quam universa illa deauratorum stipitum turba, utcunque hujus conditionem istorum pedibus fortuna subjecerit. Est quædam, ut Politice fabulemur, sine Fastis Nobilitas, dignitas à natura unicuique tributa, qua suum quisque ordinem sortitur, meritis & pretio respondentem. Quamvis autem sæculi istius improbitate, & iniquissimæ consuetudinis Tyrannide factum sit, ut diversa plane hodie sit rerum facies, tamen in primis, & præcipuis Rebus publ. hoc semper obtinuit, & adhuc etiam in Civitatum bene institutarum integritate, & Cunabulis tamdiu obtinet, dum morum nequitia inolescat, & Divitiis, quas vulgus congerit, & Prudentiores quique negligunt, omnia tandem Venalia sint.

Sect. 2.

**A**Et Qua hæc, & indifferens Animæ temperies ad divinam hanc virtutem me aptius attemperavit. Non mediocris felicitatis est ad Virtutem formatum nasci, adeoque ex seminibus à Natura inditis, potius quam operosa Educationis insitione adolescere. Quod si solus Naturæ nostræ ductum sequamur, affectuumque nostrorum studium ad Rationis tantum normam dirigamus, morales tantum sumus, & Judice Theologia, in Ethnicorum numero. Et proinde nobile illud Charitatis opus alio tendere, aliunde moveri & impelli oportet. Non eo ani mo Fratrem Eleemosyna sublevo, ut famem ejus & inopiam consolem, sed ut Dei mei præceptum, & voluntatem execuar: non ejus causa qui rogat, sed ejus causa qui jussit, beneficis sum. Non ideo quenquam sublevo, quod miseria ejus

ejus id mihi persuaserit, vel ut propriæ commiserationi morem geram; hoc moralis tantum Charitatis est, hoc facimus affectibus verius quam Ratione adducti. Qui sola misericordia impulsus egenis dat, non tam illorum causa hoc facit, quam sua: cum enim alienam miseriā commiseratio nostram faciat, sublevatis aliis nosmet ipsos sublevamus. In eundem errorem impingunt illi, qui propterea aliorum infortuniis subveniunt, quod scilicet Fortuna omnium communis sit, & quæ nota est commiserationis oratio, hæc eadem olim ipsis contingere possint: Provida quidem hæc est, non simplex & sincera charitas: Quid enim hoc aliud est, quam sibi in similes casus aliorum misericordiam prospicere? Et sane triviales istos & doctos mendicos non quoslibet statim in turba obvious aggredi, sed certos quosdam

H 6 &amp; se-

& selectos, observavi. Nam vero artem quandam Physiognomicam esse arbitror, qua classici isti Rogatores usi misericordem oris aspectum continuo internoscunt: & in quo vultu signaturas & indicia humanitatis conspiciunt eum è media turba sibi adorandum selegunt. Habet enim vultus mysticos quosdam Characteres animam ipsam exprimentes, quorum Alphabetum quicunque calleat, ingenium ipsum ex fronte legerit. Nec hominum tantum, sed Plantarum etiam, & Vegetabilium Phytognomiam, seu Physiognomiam quandam esse statuo. Et in unoquoque horum figuris quasdam externas apparere, internæ quidem formæ signa & indicia. In omnibus operibus suis inscriptionem aliquam reliquit digitus Divinus, non graphicam illam & ex literis, sed ex forma tamen & constitutione, ex membris & operatione-

rationibus compositam, quæ omnia rite & apposite conjuncta ipsam rerum naturam non obscure depingunt. His literis Deus astra nominatim compellat, his nomina creaturis Adamus indidit, uniuscujusque naturæ congrua. Præter illos autem in facie characteres, sunt etiam mysticæ quædam in manibus figuræ, quas ociosas & fortuitas linæ vocare non audeo: ab eo enim penicillo ducuntur, qui nihil fortuito facit: Has ideo diligentius animadvero, quia eas in manu mea figuræ cerno, quas in aliena fuisse nunquam, aut vidi, aut legi. Chiro-mantia quidem non meminit Aristoteles in singulari suo & doctissimo de Physiognomia libello: Ægyptios vero arcanæ ejusmodi & mysticæ scientiæ studiosiores, non hujus ignoros fuile arbitror: Cujus etiam hodie peritiam jactant noti illi Errones, Ægyptii vulgo appellati,

HAYKOKA

182      R E L I G I O

pellati, & præceptis forsan aliquot adhuc retentis Artis suæ opinionem tuentur.

Tot mille hominum vultus omnes inter se dissimiles esse plerique mirantur; ego contra ullum omnino alteri similem reperi. Quot vocum myriades quasi per negligenciam, & fortuito ex literis viginti quatuor compositæ fuerunt, si quis cogitaverit: & quot itidem lineas in unius hominis fabrica duci oportet: necessariam esse hanc varietatem facile comperiet: difficulterque ita omnes concurrere posse, ut effigies duæ per omnia similes exeant. Decies mille facies, quas pector aliquis negligenter descriperit, universas dissimiles videbis: immo licet exemplar aliquod summa artis diligentia adhibita simulare conetur, manifestum adhuc discrimen repries. Est enim rei cuiuslibet exemplar in genere suo perfectissimum

quod

M E D I C I .      183

quod licet superemus, non assequimur, quia nondum undiquaque congruit. Nec tamen aut varietatem Naturæ de honestat, aut opera divina confundit Creaturarum similitudo: Quæcunque enim consimilia sunt, habent aliquid diversi, & quæ inter se convenire videntur, non obscure discrepant. Hoc modo Deo similis homo est, in quibus enim rebus eum aliquo modo referimus, in iis ipsis ab eodem prorsus discrepamus. Nusquam ita simulavit res altera alteram, ut ex omni parte referret. Aliquid semper discriminis ad prohibendam identitatem intervenit: hoc nisi fieret res duæ diversæ non similes forent, sed idem, quod impossibile est.

Sed. 3.  
UT vero à Philosophia ad Charitatem redeam: non sic angustis limitibus virtutem hanc definio quasi

quasi solummodo Eleemosinam facere Charitatis esse existimem, aut universam Charitatem à liberalitate comprehendendi. Actiones ejus Theologia prudenter multifariam divisit, & in via hac angusta multas ad virtutem semitas ostendit. Quot enim modis alteri benefacere licet, tot modis charitatem exercere possumus. Non corporis tantum sed Fortunæ etiam & Animæ infirmitates sunt, quibus omnibus pro modulo nostro succurrentum est. Rudem & indoctum non contemno; imo eadem misericordia hunc, qua Lazarum intueor; nec potioris Charitatis est huic corpus contegere, quam illius animæ nuditatem amicare. Magnificum vero illud & præclarum est, aliorum animos quasi sumptibus nostris togatos incedere, & ingenio nostro tanquam Patrono assurgere; Vilius benefacere non poteris. Sic naturali Charitate sol

aliis

aliis lumen præbet, nec sibi detrahit. Hac in re qui parcus & tenax est, turpissime avarus est, & sordidissimo Philargyro sordidior. Ad hoc munus me (ut cui in literarum studiis educari contigit) conditionis officium obstringit: & idcirco non sepulchrum, sed Thesaurarium scientiarum, animum facio, non reipublicæ literariæ monopolium affero, sed in commune labore. Nec mea tantum, sed eorum etiam causa studeo, qui sua ipsorum causa studere nolunt. Si quis me plura sciat, non invideo; misereor, si quis pauciora. Non exercitationis causa alios erudio, non ut in me metis scientiam foveam, sed ut in alios propagem. Hos inter conatus hoc unum mihi animum dejicit, Dotes eas, quas studio & labore acquisivi, mecum esse perituras, nec charissimis meis & amicissimis legari posse. Propter errorem aliquem neminem con-

contemno, aut odi: nec enim æquum videtur, ut opinionum discrimen mutuam benevolentiam dirimat. Non semper Charitatis leges violent Disputationes & Controversiae, sive Philosophiae, sive Theologiae res agatur, modo placidi & tranquilli judicii prudentia accedat. Hic quantum Stomachi est, tantum nihil ad rem est: & Ratio, tanquam naribus parum sagacibus canis, omissa quam prius petiverat præda, alio præcipitatur. Hinc raro de controversiis quicquam decernitur: quantumvis enim magnifice propositæ, vix attinguntur: ita digressionibus parum necessariis intumescunt, ita partium studiis omnia in transversum aguntur, ut sæpe Parergorum parenthesis principale subjectum supereret. Rata jamdum & sancta sunt Religionis fundamentalia, & de salutis principiis inter omnes convenit, vix restat

con-

controversia satis digna, quæ nobis bilem moveat, & tamen vix unquam citra hanc, aut in Theologia, aut in inferioribus scientiis disputatur. Quali autem *βαλεχμυρομαζια* ab S & T apud Lucianum concurritur? Quæ rixæ, quæ prælia Grammaticorum! quoties solummodo, quid \**Iupiter* in Genitivo gignat, contenditur! Quam milere sibi ipsis cerebrum comminuant, ut Prisciani calvitium tutentur! Si foret in terris rideret Democritus. Inimo de hujusmodi lana caprina etiam à prudentioribus non raro configitur: Quot vulnera data & accepta sunt! Quanta nominem strages edita, quoties de ignobili aliqua opinione, aut vili distinctiuncula prælium instituitur! Doctorum quidem Togæ sunt, non Arma; at linguis utuntur Actii novacula acutioribus; at Calami ipsorum ipsis to-

\* *Ioris, an Iupiteris.*

ni tri-

ntribus longius petunt, longius audiuntur. Archibalistæ furorem excipere malo, quam sœvientis calami. Quod Artibus plerumque patrocinentur, & eruditis viris faveant prudentiores Principes, non tam ex eo fit, quod ardenter Zelo Eruditionem prosequimur, aut musas religiosius colant, quam quod horum opera nomina sui æternitati commendari velint, & ultores calamos posteritatis vereantur: Cum illi absolutis, quas sustinuere, partibus exierint, hi tandem totius fabulæ argumentum enarraturi in scenam prodeunt, quæ recte, quæque male fecere posterit prodituri. Hominem profecto fide integerrima esse oportet, quicunque Historiam conscribendam suscipit: Indelebilis enim labes nomini adhæret, quam Historici calanus asperferit: Huic nos apud omnes Populos, apud omnem Posteritatem traducere licet, idque adeo

adeo jure suo, & authentica quadam mentiendi authoritate.

## Sect. 4.

**A** Lius etiam modus est, quo in Charitatem frequenter peccatur, quem nullus unquam Scriptor attigit, & pauci animadvertunt. Dico autem convitia illa, & opprobria non tantum in universum aliquod vitæ genus, sed etiam in totas nationes jacta; Dum alii alias contumeliosis Epithetis lacessimus, & iniquissima Logicā paucorum crimen in omnes diffundimus.

*Le mutin Anglais, & le bravache Escoffois,  
Le bougre Italien, & le fol François,  
Le pavlon Romain, le larron de Gascoigne,  
L'Espagnol superbe, & l'Alleman yrogne.*

Cretas quidem mendaces Paulus vocat, non id tamen, nisi indirecte, & ipsorum poëta allegato. Turpis sane error, & qui cruentum illud Neronis votum quodammodo refert: unico enim verbo mille vulneramus, & totius Nationis honorem

HAYKOKA

190 R E L I G I O

rem unico ictu extinguimus. Illi totis Anticyris digni sunt, qui conviciis in tempora debacchantes, bile sua, & maledictis ad sanitatem revocare parant. Democritus, qui risu usque tempora exagitans, hac ratione correxisse voluit, non minus mihi Hypochondriacus videtur, quam contrarius alter eadem perpetuo deflens. Minime mihi bilem moveri sentio, quoties vulgum sui similem, hoc est, more suo infanientein cerno. Arcetur enim prophanum vulgus à sapientia Adytis, & pauci sunt, quibus bonis esse datur. Qui vitium omne è medio sublatum cupiunt, virtutem extinguunt: Contraria enim, quantumvis se mutuo tollant, mutuo tamen animant etiam; & virtus extinctis vitiis Idea tantum futura est. Adhac, Vitiorum frequentia minime virtutem dehonestat: nam quo plures contagione sua vicia corripunt

M E D I C I . 191

ripiunt eo Virtus magis magisque, in quibus restat, elucere incipit: Quæ ut in his pereat, in aliis tamen bonitatem suam cumulatiorem certnit, adeoque in universali inundatione integra & indelibata perstat. Vitiis itaque quoties occursu est, corripere, & monere quædam contentus, à Satyra facile temperare possum. Ingenui enim & Virtutis capaces animi convitiis & maledictis in Vitia aguntur, quos placide monendo ad Virtutem facilius perduxeris. Et sic saltem Virtutis Oratores omnes esse debemus, ut eam à Vitiorum vi & injuria defendant, læsa Veritatis causæ patrocinemur. Recte alterum æstimare & judicare nemo potest, nemo enim alterum satis novit. Hanc adeo ex me ipso conjecturam facio: In tenebris adhuc obscurus latito, nec me familiares mei, & amicissimi nisi multa nube obvolutum intuen-

tuentur: Qui extrinsecus tantum norunt, minoris me aestimant, quam ego me ipsum; qui familiarius, pluris: Deus qui me solus vere exploratum habet, novit me nihil esse. Ille & me & universum mundum solus intuetur; non enim nos per mutuatios radios, non per speciem sensibilium trajectionem contemplatur; sed substantiam ipsam citra accidentium beneficium videt, rerumque earum formas, quarum nos solummodo operationes cernimus. Porro autem, nemo alium juste aestimare potest, quia nemo seipsum novit. Alios enim reprehendimus, quatenus ab eo discrepant, quod in nobismet ipsis laudabile judicamus; & laudamus in quantum consonant. Hæc omnia huc scilicet redeunt; nihil hoc aliud est, quam quod omnes ad unum damnamus, φιλωπία, Communis est hujus seculi & fortasse etiam

præ-

præteriti querela, *Charitatem frigere*. Quod verissime in istos competere video, qui ardentissimas zeli flammæ præse ferunt. Huic enim virtuti cum modestis & ad humilitatem animi temperatis ingenii optime convenit. Nec sane fieri potest, ut alios charitate prosequamur, qui ne nosmetipso quidem charos habemus. *A se Charitatem incipere*, vulgo ajunt, cum tamen nobismetipso nemo nobis infestior sit; imo ipsi nobismetipso carnifices quodammodo simus. *Non occides*, à Deo quidem præceptum est, ab hominibus vero perraro observatum. Atropos est sua quisq; sibi; nos manu propria vitæ nostræ stamen demetimus. Nec Primus homicida Cainus fuerat, sed ipse Adamus mortis inducendæ author: Quam in filio suo Abele prium expertus est, alieno tandem exemplo id illi persuadente, quod fides in seipso persuadere non poterat.

I

Sect.

Sect. 5.

**N**eminem suæ ipsius misericordiæ sensu minus affici, aut alienæ magis me uno credo. Brachium mihi siccis oculis abscindi, & citra multos gemitus membratim mihi corpus discerpi paterer; Idem Histriorum fabulas non sine seriis saepe fletibus spectare soleo, & fictas illas notissimæ Impostura querelas vero animi dolore excipio. Aerumnam miseris exaugere, & ægritudinem, cui ferendæ vix jam sufficiunt, acerbare, barbaræ cujusdam inhumanitatis est. Hoc ipsum Jobus gravissimum expertus est, non enim directæ Diaboli plagæ tam penitus usserunt, quam obliquæ Amicorum expostulationes. Ad dolorum gurgites exauriendos, non nostri tantum, sed etiam amicorum fletus valent. Sic enim in plures alveos ægritudo dilapsa tranquillus & sedatus fluit, unico & solo

solo flumine rapidius fertur. Charitas Animi dolores è pectori in pectus transferre potest, & ita concisim & minutim discerpere, ut poene nullibi sentiri queant. Dimensionum enim Mathematicarum more dividi possunt afflictiones, donec quidem insensibiles sint, ut cunque adhuc divisibles. Amicorum autem dolores non meos ex parte fieri, sed in totum proprios reddi cupio, quo scilicet, & commodius discutere & moderari queam: nobis enim facile imperamus, quod ab alieno ingenio impetrare non possumus. Nobilia illa Amicorum paria fabulosis potius quam veris historiis diu annumeraveram, non tam quid factum fuisset, quam quid fieri deberet, ostendere arbitratus; quæ tamen omnia facile possibilia esse tandem sentio, nec quicquam in heroicis illis exemplis Damonis & Pythiæ, Achillis & Patrocli esse,

HAYKOB

196 R E L I G I O

quod non ipse in nonnullis casibus  
amicorum causa præstitus sim.  
Vitam alterius causa à quoquam  
deponi, apud Vulgus hominum  
vix fidem obtinet, adeo tritum illud  
& vulgare axioma violare nesciunt,  
*Charitas à seipso incipit.* Ad me sane  
quod attinet privati semper com-  
modi, rationisque ejus, quam mei  
ipsius habendam esse Natura præci-  
pit, protinus obliviscor, quoties  
quid Deo, quid Patriæ, & quid  
Amicis debeam, animum subeat,  
secundum hæc tria meipsum ample-  
ctor. Quamvis hic methodum à  
Scholis præscriptam violare me fa-  
teor, quæ primo loco Parentes, uxo-  
rem & liberos, secundo Amicos di-  
ligendos præcipit. Exceptis enim  
quæ Religio exigit, nullam ita in-  
dissolubilem & necessariam sanguini-  
nis sympathiam in me ipso reperio.  
Non in præceptum quintum peccari  
opinor, si forte amicum aliquem  
chario-

M E D I C I . 197

chariorem habeam quam qui pro-  
xima consanguinitate adjuncti sunt,  
etiam quibus vitam ipsam acce-  
ptam fero. Mulierem nullam vero  
unquam & syncero affectu amavi;  
Amicum non aliter charum habeo,  
quam Virtutem, Animam, aut  
Deum meum. Hinc conjecturam  
mihi facere posse videor, quanto-  
pere Deus hominem diligit, &  
quantum felicitatis habeat amor  
Divinus. Cæteris omnibus omis-  
sis tres tantum mysticæ sunt uniones;  
Naturæ duæ in persona una, Tres  
personæ in una Natura, & Anima  
una in duobus corporibus. Quam-  
vis enim duæ revera sint, ea tamen  
unione inter se connectuntur, ut  
dualitatem potius; quam duas di-  
stinctas animas constituere videan-  
tur.

Sect. 6.

R Es plena, miraculorum, æni-  
ginatum, & mysteriorum verus

I 3 amor

HAYKOB

198 R E L I G I O

amor est; quo ita in unum duo coalescunt, ut uterque duo videatur. Amicum me ipso charius diligo, ne cum tamen satis diligere videor. Accumulatis post aliquot menses affectibus, vix antea dilexisse visus sum. Quoties abssum, mortuus sum, donec una sim: præsens præsentia non savior, proprius adhuc tendens. Unitis animis non satisfaciunt complexus; urget enim usque perfectæ unionis desiderium, quod cum possibile non sit, infinitum esse desiderium necesse est, & citra ullam satietatem perpetuo flagrare. Inest & alia præterea in amore miseria: Quos æque, ac nosmet ipsos diligimus, eorum vultus semper animis elabitur, nec oris ideam memoræ infixam retinere possimus: quod nec mirum videri debet; Nos enim sunt, & vultus ipsorum nostros faciunt affectus. Heroicus iste Affectus in vulgares, & ignobiles ani-

## MEDIC 1. 199

animos non incidit, sed in eos tantum, qui ad virtutem designantur. Nobili hoc ardore qui amicum diligit, mediocri quidem amore universos colet. Si autem, affectuum acie corpus trajicientes, ad animam penetramus, verum, tum Amicitia, tuum Charitatis objectum reperiemus. Animæ autem majorem fœlicitatem legare non possumus, quam eam ipsam, in qua omnes fœlicitatem statuimus, salutem æternam. Hanc largiri licet potestatis nostræ non sit, Charitatis tamen erit piæque invocationis, si minus acquirere & promovere, at desiderare saltem. Pro me ipso solo preces concipere nunquam satis habeo, nisi adjecto insuper Amicorum Catalogo, nec mihi soli beneficium aliquod rogare, quin & proximum meum ejusdem particeps cupiam. Fatalen Nolam nunquam ita hilarescens audio, quin procedente

cedente Anima vota & preces fundam. Ad Patientis corpus curandum accersitus, mihi temperare non possum, quin Professionis oblitus pro Anima orem. Quoties alium precantem cerno; quem imitari oportuit, continuo pro eodem deprecari incipio; qui mihi tamen fortasse ignotus erat: & profecto, si quidem vota mea aurem Divinam facilem habuere, non pauci qui me nunquam viderunt, ignorantum precum fructum percipiunt. Pro inimicis nostris, hoc est, pro eorum salute orare, non ita durum præceptum est, nec aliud, quam quod in quotidianis Liturgiis facere consuevamus. De Italo illo quod vulgo refertur, non verum arbitror; maligna enim hominum desideria ultra hanc vitam non tendunt: Diaboli tantum, & nigra Inferni vota futuri nobis sæculi miseriam precantur.

Sect.

Sect. 7.

**I**Njuriam nec inferre, nec accipere, dum adhuc mihi adolescentestate ferverent affectus, præceptum morum satis tolerabilium visum est; cui jam tandem anni sedatores, & temperies magis Christiana severius institutum suasere. Iam eos audire possum, qui dicunt aut injuriam nullam esse, aut nullam ad vindictam comparandam; nec vindictam ullam graviorem esse, quam injuriæ contemptum: qui alteri male cupit, eum seipsum odisse; & eum potissimum alios amare, qui seipsum conteninit. Conscientiæ meæ injurii essem, si cum re ulla mili minus convenire dicerem, quam cum me ipso. Ex variis & diversis partibus, ex innumeris Antipathiis constructam esse hanc fabricam humanam experior. Unus mihi videor, haud alter ac mundus unus est, ex maxima scilicet distin-

I 5

starum

etarum essentiarum turba, innuerisque contrarietatibus conflatus. Hostes occultos & domesticos intus habemus, publicos & magis infestos foris. Sanctum Paulum Colaphis tantum impetiit Diabolus, me stricto gladio. Totam Pharsalliam in pectore tumultuantem sentio, Affectum contra Affectum, Rationem contra Fidem, Fidem contra Diabolum; & contra hæc omnia Conscientiam. Alius intra me Homo versatus succenset, increpat, imperat, provocat. Nec marmorea mihi Conscientia est, quæ peccatis gravioribus cedere nesciat, nec tamen ita cerea, ut minutæ cujuslibet offensiunculæ, & lapsus impressionem accipiat. Paradoxa quadam fide nonnulla esse peccata credo, quæ facilius condonantur, quam committuntur alia. Originalem labem meam Baptismo elutam fuisse statuo; & peccata actualia non nisi à novis-

novissima penitentia, Sacramento, aut absolutione computo: unde fit ut Juventutis meæ furores, & peccata nihil nunc animum terrefaciant. Peccata quidem innominata mihi nulla sunt, quo nomine benignitati Divinæ gratias ago, nulla peculiaria crimina: Epidemicis tantum & humanis urgeor, & qualia ex vulgari vitiis Naturæ halitu contracta sunt. Sunt enim certæ quædam Corporum constitutiones, quæ Animi pravitatem sibi congruam naæ novos & inauditos vitiorum fœtus pariunt, quorum monströsæ novitati non facile inveniuntur nomina. Hujusmodi erat propodium ille Hircus, qui cum statua coivit, hujusmodi spintriæ Neronianæ. Non Cœli tantum novorum Astrorum, non terræ plantarum & animantium fœcundæ sunt, proférunt etiam humani Animi nova & inaudita virtus. Ex ingenii autem mei

HAYKOKA  
HAYKOKA

204 RELIGIO

tarditate, & vulgari indole factum est, ut nunquam ad hujusmodi inventionem sollicitarentur affectus. Et tamen vulgares istæ & quotidianaæ infirmitates, quæ me nexu sic inseparabiliter sequuntur, ut non aliud quam ipsa Natura mea esse videantur, ita animos mihi dejecerunt, ita opinionem illam minuerunt, quam aliter de meipso habiturus eram, ut me uno nihil vilius, & abjectius existimem. Peccitentia præscriptio Dolorem animi Theologi addunt; in meam vero una indignatio, ira, dolor, odium ingrediuntur, affectus plane contrarii, & quales nec actioni isti, nec ingenio meo convenire videntur. Non erga nos ippos violatur Charitas, si quando, aut cum vitiis nostris litigamus, aut eam nostri partem odimus, quæ Charitatis fundamento, Deo scilicet, inimica est: Hac in re majorem hunc mundum minores imitamur,

MEDICI. 205

mur, cujas discordes Antipathiæ, frontesque adversæ amicam rationem Totius habent, & privatis suis inimicitias pacem publicam tuentes, seditiones illas potestates vinculis coercent, quæ si superiores fuerint, subitam rerum omnium ruinam molirentur.

Sect. 8.

In numeris autem vitiis istis, quæ mihi ex Adami hereditate redire unum deesse serio mihi gratulor, id quidem Charitati inimicissimum, nec non peccati omnis huiani pariter ac Diabolici originem, superbiā. Cujus nomen quidem literis paucis, natura vero vix mundi limitibus continetur. Effugi in ea conditione, in quam pronior animus esse solet. Pusilla illa scientia & doctrinæ additamenta, quæ aliis opinionem de seipsis ita tollere & inflare solent, non ullas mihi plumas in cristas addidere. Vidi aliquando

Gram-

HAYKOBA

206

## RELIGIO

Grammaticulum , qui unum aliquem versum aut Odam Horatianam turgidius & elatiori fronte exponeret , quam Autor totum opus composuerat . Evidem , præter variarum Provinciarum dialectos , sex linguas calleo , nihil tamen propterea tumidior aut elatior , quam olim patres nostri ante confusionem Babyloniam , cum universus terrarum orbis communis lingua uteretur , nec quisquam adhuc aut Bilinguis , aut Criticus audiret . Non tantum , variarum Gentium Regionibus per gratis , variorum Climatuum ingenium perspexi , Provinciarum chorographiam urbiumque Topographiam perlustravi , sed etiam earundem Leges , Mores , & Politiam intellexi : nec tamen hæc omnia , quæ est Animi nostri ignavia & tarditas , eam unquam mihi de me ipso opinionem persuaserunt , quam in leví quodam & inepto hominum genere

per-

MEDICI.

207

perspexi , qui nusquam ad unum Gradum è nido suo prorepere . Omnia Horizontis hujus constellacionum nomina , atque aliquid etiam amplius novi : Vidi tamen aliquando loquacem nautam , qui cum præter stellam polarem & pyxidis suæ Alphabetum nihil sciret , me & garrulitatis vinceret , & tanquam non una sphæra inferiorem præ se contemneret . Novi non patrias tantum , sed & vicinarum Regionum plantas plerasq; omnes , & tamen nunc pauciores scire videor , quam cum vix mihi centum notæ essent , cum fori tantum olitorii Botanicen callerem . Capaciores enim animi qui non modica Scientiæ mensura saturantur , ante se nihil scire credunt , quam omnia sciant : Quod cum impossibile sit , in Socraticam opinionem incidence necesse est , & id tandem unum scire , se nihil scire . Homerum ex Piscatorum ænigmate tabuisse non credo ; nec

nec Aristotelem scientiæ incertitudinem toties expertum, toties in scriptis suis confessum, Rationem humanam naturæ operibus investigandis imparem esse, Euripi fluxu, & refluxu adductum fuisse, ut in eundem se peritum injiceret. Cras scilicet dedocebit proiectius judicium, quæ hodie didicimus, nec aliud nos docet Aristoteles, quam quod eum docuerat Plato, nimirum seipsum refutare. Omne equidem Scientiæ genus peragravi, nulli acquiesco. Et quamvis ex primis studiorum rudimentis Peripatetici, Stoici, aut Academicci audiamus; postremo tamen sapientissimum quemque Scepticum factum tanquam Janum aliquem in Scientiæ campis ingredientem video Philosophia itaque mihi est alia quidem communis, & authentica, quam in Scholis didici, & qua aliorum animis inter sermocinandum satisfacio; alia privata ab experien-

tia

tia ducta, qua meo. In summa sapientiæ abundantia de Ignorantia questus est Solomon, effecitque adeo, ut non tantum modestiores mihi conatus sint, sed dejectiores etiam. Aliud quiddam præterea animum identidem subit, quod ut libros claudam, & abjiciam nonnunquam efficit; Stulte nimirum hic parsim proficiens studiis ævum consumi, & nequicquam obscuris viarum ambagiis scientiam quæri; quæcunque hic tanto conamine, tantis laboribus acquiruntur, paululum modo si expectemus, ea omnia nos instinctu quodam, & infusione adepturos; prestatre per modestam ignorantiam desistere, naturali Rationis beneficio contentos, quam sudoribus laborumque molestia incertam bujus vitæ scientiam mercari, quam stultissimo cuique mors gratis data est, futuræ Glorificationis appendicem.

Sect.

Sect. 9.

**N**Ecdum uxorem ipse duxi , nec eorum consilium laudo qui bis ducunt ; non quod aut secundas nuptias damnam , aut in totum Polygamiam improbem : Accidere enim potest , ut inæqualis sexuum numeri , & temporum ratione habita , necessaria videatur. Universus mundus viri causa factus est : pars autem viri duodecima feminæ causa : Vir totus mundus est , & spiritus Dei . Fœmina costa tantum , & curva viri pars. Mihi satis placet , si nobis etiam Arborum more citra conjunctionem procreare liceat , sive alia quæpiam reperiatur rerum propagandarum ratio , quam coitionis illa vulgaris , & trivialis : nihil profecto ineptius est , aut viro sapiente indignius : nihil quod mentis celsitudinem turpius dejiciat , quam si animo iam deferente reputet , quam insigniter ineptierit.

Nec

Nec tamen hæc ita quemquam interpretari velim , quasi , à sexu illo dulcissimo alienatiore animo sim , immo ultro admiror , & amplector , quicquid pulchrum est. Summa cum voluptate eleganti cuiuspiam picturæ inhæreo , etiamsi equitantum fuerit. Ea mihi temperies est , & hoc mihi pluris sum , quæ omni Harmoniæ genere delectetur. Habet certe Symphoniam quandam Pulchritudo ; nec ullus est Chordarum concentus ad tacitas Cupidinis notas comparandus : Ubicunque enim Harmonia , Ordo , & Proportio sunt , ibi Symphonia est : quo sensu etiam Sphærarum concentus defendi poterit. Cœlestes enim motus illi ita ad ordinem & numerum concinnati , utcunque sonos nullos ad aures emitant , intellectui tamen dulcissimum modulamen præbent. Harmonia gaudet quicquid harmonice compositum

tum est, unde capituli istorum symmetriam suspectam habeo, quibus templorum Musica tam vehementer displicet. Hanc ego ut amplectar, tum obedientia, tum proprio Naturæ Genio adducor. Nam etiam vulgaris illa fidicinum circumforaneorum Musica, quæ alios hilares, alios dementes reddit: mihi quidem religiosum quandam affectum incutit, & profundam de principe Compositore meditacionem. Aliquid certe divinius habet, quam quod auris persentiscit. Hieroglyphica est, & mystica totius Rerum universitatis umbra; & talis in aura melodia, qualis Mundus juste intellectus in mente futurus est. Est denique sensibile ejus Harmoniæ specimen, quæ in auribus Divinis intellectualiter resonat. Non cum Platone statuo Animam Harmoniam esse, sed harmonicam tamen & modulamini musico ad-

mo-

modum affinem: Ex qua re accedit, ut nonnulli quorum corporis constitutio cum harmonico hoc Animæ genio congruat, Poëtæ nascantur. Quamquam ad Rythmum quidem omnes Natura singimur. Hinc est, quod Historiam suam à carmine auspicetur \* Tacitus; & Cicero ipse Poëtarum pessimus, cum solummodo pro \* Poëta orationem haberet, in prima sententia in \* Hexametrum offenderit. Sordida illa & homine Christiano indigna desideria, quibus Professio nostra male audit, in me non sentio: non pestem aut famem tacitus opto; non Calendariis & Ephemeridibus revolutis malignos Astrorum aspectus sollicitus exspecto: non Conjunctiones & Eclipses mortiferas, non aut ver insalubre, aut intempestivas

\* Vrbem Romanam à principio reges habuere.

\* Pro Arch. Poëta.

\* in qua me non inficer mediocriter esse versatum.

Hye-

HAYKOB

214 RELIGIO

Hyemes latus cerno. Ego & Agricola eadem oramus , omnia tempestiva , omnia salutifera : & qualia nec hominibus , nec temporibus sanitatem adimant. Aegrotum ipse nisi patientis malum mihi morbus sit, nisi ejus infirmitati potius quam crumenæ meæ mederi cupiam. Vix honestum mihi videtur lucrum, nisi opera prospicit : quamvis negandum non est , fideles conatus nostros salarium suum meruisse. Pudet, & vehementer dolet, esse præter mortem ipsam , & morbos insanabiles : non id adeo , quasi artem superari indigner : sed publica Generis humani causa commotus , quæ tanquam propria afficior. Ut vero generalius loquar: tres illæ nobilissimæ professiones, quas unaquæque Respublica, ut optime instituta est, ita maxime in honore habet , ex Adami lapsu profectæ sunt , nec infirmitatibus suis vacant : Ut morbos

MEDICI. 215

bos habet Medicina insanabiles: ita & Iurisprudentia causas , quæ non dissolvi , & Theologia vitia, quæ non corrigi possunt. Si consilia generalia erroribus obnoxia sint : qui infallibilis esse possint particulares Curiæ non video. Nullas habent ita perfectas regulas , quæ non ab hominibus , atque adeo fallibili ingenio profectæ sint: & alterius plerumque canones alterius consulta damnant. Haud aliter ac superiorum scriptorum sententias Aristoteles confutare solitus est, quod licet rationi congruæ , suis ipsis preceptis & dogmatibus non consonarent. Ut autem Peccatum in Spiritum sanctum missum faciam , cuius non remedium tantum sed natura etiam ignoratur : Nephritidi aut Podagræ facilis medeor , quam Theologus Superbia aut Avaritia. Sunt vitia quædam Medicinæ opera medicabilia , quæ Theologia sanare

HAYKOB

216

## RELIGIO

nare nescit : quæ hujus præceptis  
spretis & contemptis, illius pillulis  
obtemperant. Artem non jacto, sed  
aperte dico. Commune rerum o-  
mnium remedium omnes studiose  
vitarius, mors enim omnibus mede-  
tur malis. Nullum, præter hanc, Ca-  
tholicum & universale remedium no-  
vi; ad quam utcunque naucent  
κατηγορίας, fano tamen Palato nectar  
est, & grata immortalitatis potio.

Sect. 10.

Cum omni hominum genere  
haud aliter, ac sol conversor,  
anico aspectu tum bonos tum ma-  
los intuens. Mihi quidem nemo ma-  
lus, & ut quisque pessimus est, ita  
optimus videtur, nimirum quan-  
diu intra fines istos versatur, quibus  
bonus est. Non ullius tam discors  
est & asymphonius animus, cui non  
indoles musica & flexibilis, har-  
monicum aliquid succinere queat.  
*Magna Virtutes, nec minora vicia:* ut  
opti-

MEDICI.

217

optimæ indolis inscriptio est, ita in  
peccatum etiam quadrat. Nullum  
enim est ita tentatum penitus, &  
depravatum ingenium, in quo non  
partes quædam Sinceræ invenian-  
tur, quæ per antiperistasis quan-  
dam magis eluent, & Antipathiæ  
suæ viribus, & prævalentia sese ab  
impotentium vitiorum contagione  
tutantur, à communi usque malo  
liberae & intactæ. Quemadmodum  
etiam se res habet in rerum aliarum  
naturis; Cum acerrimis Corrosivis  
præstantissima Balsama in eodem  
corpo inveniuntur. Ajo præte-  
rea, idque experientia fretus, ipsa  
Venena antidotum suam in seipsis  
continere, qua virus proprium pre-  
munt & subigunt; quam si dem-  
pferis, non nobis tantum mortifera  
sunt, sed sibi ipsis etiam. Ego autem  
ab ea quæ intus est, corruptione  
mutuo, non ab externi commercii  
contagiis. Mihi ab indomita illa &

K ia-

HAYKOB

218      R E L I G I O

interna cohorte periculum imminet; ipse sum mihi ipsi contagiosus. Vivit adhuc in me homo Umbilico carens. Corrodit me usque & depascitur Originalis cancer: ideoque *Defende me Deus de me*, Litaniae meæ pars est, & quæ inter secretas meditationes vox prima erumpit. Solus nemo est, quia unusquisque Microcosmus est, Mundumque universum secum circumfert. *Nunquam minus solus, quam cum solus*; Utcunque Sapientis Apophthegma, verum etiam est ex ore stultissimi. In media Eremo soli non sumus: non quod nobis met ipsis tantum, & cogitationibus nostris comitati sumus; adeo ubique Diabolus, perpetuus solitudinis comes, & tumultuum intestinorum rebellis author, solitarias usque meditationes ad seditionem sollicitans. Et strictius agam, nulla est uspiam solitudo, nihil secretum & solum dici

M E D I C I .      219

dici potest, nisi solus Deus, qui proprio contentus circulo per seipsum subsistit. Reliqua omnia præter partes suas dissimilares & Heterogenaeas, quæ totidem quodammodo naturæ videantur, per concursum tantum Divinum subsistunt, & per ejus dextræ societatem quæ ipsorum naturas sustentat. Nihil denique solum est, quod non simpliciter unum est, nec quicquam simpliciter unum, nisi solus Deus. Reliqua omnia unitatem transcendunt, ideoque plura sunt.

Sect. II.

A D vitam meam quod attinet; Anihil aliud est quam triginta annorum miraculum: cuius Historiam si enarrare velim, non tam vera referre, quam fabulam comminisci videbor. Mundus hic autem, non tam diversorium, quam Nosocomium videtur, moriendo potius, quam vivendi locus. Non

K 2      alium

HAYKOBA

220      R E L I G I O

alium mundum, quam meipsum,  
quam mei ipsius fabricam, & Mi-  
crocosmum curo, & contemplor.  
Altero illo haud aliter ac Globo  
meo utor, quem interdum huc illuc  
animi causa versare soleo. Qui me  
extrinsecus tantum inspectant, non  
aliud quam conditionem meam &  
fortunam contemplantes, in Altitudine errant: Atlantis enim hu-  
meros calco. Punctum terra est, nec  
id tantum Cœlorum respectu, sed  
cœlestis etiam ejus & æthereæ par-  
ticulæ, quæ nobis inest. Moles hæc  
carnea, qua circumscribor, non Ani-  
mo limites ponit: Ultima illa su-  
perficies, quæ de finibus suis cœlos  
monet, non facit ut credam mihi ul-  
los esse. Trecentis sexaginta cubitis  
non contineor, nec Arca, ut corpus  
capiat, animam comprehendit.  
Dum quo pæto Microcosmus sum  
studiosius inquiro, me nescio quid  
majore mundo majus comperio.

Ali-

M E D I C I .      221

Aliquid certe Divinitatis in nobis  
inest, aliquid Elementis antiquius,  
quod solis ditioni non obnoxium  
est. Me Dei imaginem esse, non  
scripturæ tantum docent, sed na-  
tura etiam: hoc qui nescit, huma-  
nam doctrinam nondum attigit,  
nondum in homine discendo Ab-  
cedarius est. Quod sine alienæ fœ-  
licitatis injuria dici queat, nemini-  
nem me uno fœliciorem esse ajo.  
*Ruat Cœlum fiat voluntas tua;* hoc in  
omni casu subsidio est: nec enim  
aliud accidere poterit, quam quod  
quotidiana oratione petimus. Pau-  
cis ut dicam, Sorte mea conuen-  
tus sum; quo quid maius poterit  
Providentia tribuere? Hoc certe  
illud est, quod Fœlicitatem appelle-  
mus; hoc ego potitus sum; hoc  
vel in ipsis somniis felix. Certe  
rebus omnibus, quæcumque dele-  
ctant, per quietem magis, quam  
vigilantes afficimur. Hoc nisi ita  
esset

K 3

HAYKOPA  
HAYKOPA  
HAYKOPA  
HAYKOPA  
HAYKOPA  
HAYKOPA

222 R E L I G I O

esset miser esse; expperrectus enim excrucior, & Amicum abesse usque queror, quem gratum somniorum ministerium de nocte iterum amplexibus reddit. De beatis somniis non minus Deo gratias ago, quam de felici quiete: Habent enim ista, quod Desideriis modestis, & modica voluptate contentis satisfacere possit. Certe atræ bili imputandum non erit, si nos omnes in hoc mundo dormire dixerimus; quæcunque hic agimus, quæcunque meditamus, mera esse somnia, & inter vitæ hujus & futuræ imaginationes tantum interesse, quantum nocturna phantasmata à diurnis sensis differunt. Pariter in utrisque ludimur, simulacula tantum sunt, & emblemata altera alterorum. Nosmetiplos nescio quomodo in somno superamus, & tunc demum vigilare videtur animus, cum corpus dormitare inceperit. Ligatio quidem

## M E D I C I . 223

dem sensuum est, at Rationis Libertas. Nec ad somniantium imaginationes comparanda est vigilantium meditatio. In Nativitate meæ Ascendens erat terrenus Scorpius; hora planetaria Saturni natus sum, & sane ex plumbeo illo Planeta nescio quid contraxisse mihi videor. Facetus & urbanus non sum, non conviva lepidus, non geniali hilaritati idoneus; is tamen, qui per unum somnum comœdiam totam componere, in Theatro assidere, spectare, & audire, & risu tandem plausuque mihi ipsi somnum excutere possum. Siquidem autem, quam mens <sup>ton</sup> fœcunda est, tam fidelis memoria esset, non nisi in somniis studerem, nec ad Religionis officia obeunda aliud mihi tempus deligerm. Sed crassior nostra memoria ita tunc temporis ab abstracta mente disjuncta est, ut totius rei gestæ obli-

HAYKOKOBA

224

## R E L I G I O

oblita , nihil aliud jam experrectis  
animis , quam confusum quiddam  
& imperfectum memorare valeat .  
Nec Aristoteles qui singularem tra-  
ctatum de somno conscripsit , ac-  
curatam ejus definitionem reliquis-  
se videtur ; nec , qui eandem cor-  
rexit , Galenus ; Noctambuli e-  
nim etiam dormientes sensuum suo-  
rum actionibus defunguntur . Fa-  
teri igitur oportet aliquid in nobis  
esse , quod Morphei imperium non  
agnoscit , ecstaticasque illas , &  
abstractas animas , non aliter in cor-  
poribus propriis circumferri , quam  
spiritus audire , videre , & sentire  
videntur , cum tamen organo , &  
sensu priventur , & facultatibus i-  
stis , à quibus informari debent :  
Quosdam sub mortis horam su-  
pra se loqui , & ratiocinari obser-  
vatum est . Iam enim Anima ex cor-  
poris illis vinculis liberari , & exoli-  
vi ; jam ut se dignum est , & acumi-  
ne

M E D I C I .

225

ne plusquam mortali sermocinari  
incipit .

Sect . 12 .

N Os quidem somnum mortem  
dicimus ; nos tamen non so-  
mnus sed vigilia perdit : hæc spiri-  
tus scilicet conficit , vitæ domici-  
lium . Nulla sane vitæ pars mortem  
aptius effingit ; vere enim vivit quis ,  
quam diu Naturæ suæ munere & fa-  
cultyatum officiis fungitur . Clemen-  
ter Themistocles militem dormien-  
tem interfecit ; mitius sane supplicii  
genus , quam quod ullæ adhuc leges  
excogitarunt : quod adeo Lucani  
& Senecæ ingenium fugisse miror .  
Hæc illa mors est , qua mori quoti-  
die vere & proprie dici possumus :  
Mors est , quam Adamus obiit , an-  
tequam mortalis esset : mors , qua  
medium quiddam inter vitam &  
mortem vivimus : mors denique est ,  
ita morti similis , ut ei me commit-  
tere non ausim nisi precibus factis ,

K 5

&amp;

& Luci quodammodo per colloquium cum Deo habitum valedicto.

*Adsum tenebra; dissimiles nihil  
Luci tenebra; tu modone Deus  
Longe recedas; nigriora  
Ne mibi nocte tenebricosa  
Peccata vultus excipiant tuis  
Serenitatem: Namque diem mibi  
Tu Solus affers; nempe solus  
Tu mibi Sol, & origo Lucis.  
Tu dormientis tempora numine  
Non dormientis protege; summove,  
Insomnibus qui somnolento  
Artibus insidiantur, hostes.  
Dulcis quies sit; nec nisi qualia  
Saxo recumbens sensi Abramides,  
Vexent quietos visa somnos.  
Exiliat pede Mens volueri  
Visura Cœlum, protinus ac mihi  
Corpus querit; protinus ut sacras,  
Cum nocte decadente somno,  
Excipiat sacra Lux tenebras:  
Utque ipse cursu non alacri minus,  
Quam sol, futurum mox peragam diem.  
Mors somnum audit; Detur, oro,  
Indem mori didicisse; detur  
Somno supremo non placide minus  
Olim sepulchro posse recumbere,  
Hic quam recumbo. Qualis autem  
Cunque sit mihi somnus, olim  
Tecum excitari, si modo, si pater,  
Hoc largiaris; des, licet aut brevem, aut*

Somnum

*Somnum supremum; æquus recumbo.  
Quo misera miser usque vita  
Hæc! somnolentas sterco dieculas?  
Quousque frustra? nam brevis hæc quies  
Mox fugerit. Quando, ô, videbo  
Perpetuum sine nocte lucem?*

Hoc neimpc Hypnoticon cubitum iturus adhibeo, nec alio mihi Laudano ad somnos faciendo opus est. Postea securus ad somnum componor, soli longum valedixisse contentus, & ad Resurrectionem usque libenter dormiturus.

## Sect. 13.

M Ethodo illa, qua in Justitia Distributiva utendum erat, in commutativa frequenter utor; geometrica proportione in utraque adhibita, qua aliis dum æquus sum, mihi ipsi iniquius sis, & in trito illo axiomate supererogo, *Aliis facito, quod tibi ipsi fieri velis.* Ad divitias me non natum esse arbitror; *quod tamen ut maxime in faris esset, fatis tamen aduersatura est animi libera-*

K 6

beralitas. Nec enim tam vitium mihi videtur Avaritia, quam deplo-  
rata insania. Mortuum se credere,  
aut urinarium factum, non tam ri-  
diculum est non tam Hellebore vi-  
res superat. A ratione non tam aliena  
sunt speculativa hominum do-  
gma, & sententiæ, quam con-  
clusio & Praxis. Alii nives nigras  
esse, alii terram moveri, ali animam aëream, aqueam, & igneam  
esse asseruerunt: hæc tamen omnia  
Philosophica sunt, & satis sana vi-  
debuntur, si apertam illam & mi-  
serissimam Avaritie dementiam con-  
templemur. Stygiū istius & subter-  
ranei Idoli respectu me Atheum  
esse fateor: non possum illud cole-  
re, quod Vulgus veneratur. Aliquid  
forte apud me præparata ejus sub-  
stantia intra corpus valere potest,  
foris in actionibus nihil. Ad indi-  
gnum aliquod facinus aut flagitium  
perpetrandum non Indiis utrisque

con-

conducendus sum. Hanc solam ob-  
causam meipsum amo, & ample-  
ctor; nec duo mihi brachia in com-  
plexus sufficere videntur. Severe  
nimis Aristoteles pauperes & ege-  
nos è liberalium numero excludit.  
Hoc si verum est, me non nisi votis  
munificis, liberalibusque desideriis  
liberalem esse fateor. Quod si illud  
Quadrantis exemplum non nobis  
tantum in miraculum proponatur,  
sed etiam ad Charitatis exemplar,  
jam Pauperes Ptochotrophia ædi-  
ficare poterunt, nec Templa ab  
opulentis tantum extructa sunt. Pe-  
culiari in Charitate methodo, quam  
ali non observant, utor; à meipso  
occasioneum benefaciendi arripio; &  
opportunitate ab inopia mea sum-  
ta, aliorum angustiis tum maxime  
subvenio, cum ipse premor. No-  
bis in ipsis enim honesto quodam  
Strategemate ad occasiones omnes  
imminere debemus, & ejusmodi

con-

HAYKOPA

230 R E L I G I O

consilio Virtutis actiones administrare, ut quod in aliis circumstantiis deficit, in aliis abundantius sarcinatur. Indiae mihi in votis non sunt, id tantum expeto quod satis sit, quoque iis charitatis officiis fungi possim quibus fungi velle ab illo datum est. Dives est, cui unde beneficiat suppetit, nec temere tam pauper quisquam reperitur, cui mens liberalis & ingenua non aliquam beneficiandi viam inveniat. Mutuat Iehova, qui gratiose largitur tenus: Plus quidem elegantiae in se continet hæc una sententia, quam quicquid est uspici Concionum. Si eadem Emphasi intellegentur sententiae istæ, qua olim ab authoribus dictatae sunt, non tantis profecto præceptorum voluminibus opus esset, per Epitomen bonos esse licet. Hac sola causa adductus mendicum præterire non possum, nisi aut inopiam ejus crumenâ, aut animam

M E D I C I.

231

mam precibus sublevem. Adventitia illa & scenica differentia, qua discernimus, non facit ut partis ejus immemor sim, quæ utriusque communis est. Sub pannosis istis centonibus, sub mutilatis istis & laceris corporibus incolunt animæ, nec materia, nec origine nostris ignobiliores: Utrisque Deus in genere est, utrisque patet via salutis æque expedita. Charitatis objectum tollunt Politici isti, qui servatoris nostri vaticinii immemores, nec rempublicam Christianam satis intelligentes, civitatem pauperibus vacaturam monuntur.

Sect. 14.

E St autem alia Charitatis pars, hujus columna & basis, nempe Amor Dei, cujus causa proximum diligimus. Ea enim demum Charitas est, Deum propter ipsum diligere, & proximum propter Deum. Quicquid amabile est, Deus

HAYKOPA

232 R E L I G I O

Deus est ; aut saltem pars ejus quodammodo separata , aliquid adhuc Divinitatis retinens. Nec mirum videri debet in eo collocari affectus nostros , quod invisible ; invisible enim est quicquid vere amamus , nec quicquam tam sancto nomine dignandum est , quod sensuum tantum affectibus veneramur. Hunc ad modum virtutem colimus oculis ignotam ; hunc ad modum eam amicorum partem amamus , & amplectimur , quam amplecti non possumus. Deus cum universa bonitas sit , præter seipsum nihil amare potest , nos solummodo propter eam partem diligit , cuius originem à divino ejus spiritu deducimus. Parentium amores , uxorum & liberorum affectus , si diligenter excutiamus , leves admodum & instabiles sunt , nihil solidi nihil veri habentes : quod autem ex his firmissimum esse vinculum videtur , mutuis nimurum

M E D I C I . 233

mirum parentum & liberorum affectus , quam infirmum ipsum , quam non dissolubile videmus ? Ad mulierem nos conferimus , matris in uxore oblii , uterique ejus , qui nos ipsos peperit , in eo qui imaginem nostram pariturus est. Hæc cum nos liberis bearit , migrat iterum affectus , & à lecto ad liberos descendit , nec tamen ibi fixiori vestigio mansurus : Hi progressa jam ætate , aut nos mortuos cupiunt , aut uxore dœta honestam tandem transferendi affectus causam reperiunt. Sic vivos quodammodo sepeliri nos posse videimus , & sepulchrum in propagine spectare.

Sed. 15.

U T itaque Coronidem tandem adjiciam , infia , sive (quod vult Copernicus) supra solem nullam esse felicitatem ajo. Nec quicquam Crambes etiam decies repetitum habet frequens illud Epiphonema ,

HAYKOBAYEVICH MECHNIKOVA

234 R E L I G I O

nema, totiusque Salomonis sapientiae compendium, Omnia vanitas sunt, & afflictio spiritus. Nihil est felicitatis in his quæ mundus veneratur. Ideas Platonicas dum Aristoteles refutat, in Ideam ipse incidit; nihil enim aliud est ejus summum bonum, quam somnium & Chimæra. Id, cuius fruitione Deus pariter atque Angeli felices sunt, & cuius defectu Dæmones miseris, id veram felicitatem appellare non metuamus: ad hoc autem quicquid conductus per haud invitam Metaphoram eodem titulo insigniri poterit: Præter hoc quicquid vulgus Felicitatem nominat, mihi fabula & speculum est; & amabilis tantum impostura, quæ præter nomen solum nihil felicitatis habet. Si denique in Conscientia pacem, in affectus imperium, erga Te ipsum, & Charissimos meos pietatem mihi, ô bone Deus, benignitas tua in hac vita derit,

235 M E D I C I.

derit, Cræsum ipsum miserari poteris. Hæc eorum summa est, quæ modestissimæ meæ ambitioni in votis sunt, quæque hic in Felicitatis album adscribere ausim, in quibus nullum dextræ tuæ modum aut limitem pono, quicquid sapientiae tuæ bene placito visum fuerit, de me facito, de me quicquid fiat, fiat voluntas tua.

F I N I S.

An-

HAYKOB  
SISTO  
HAYKOB

Anacephalæosis eorum, quæ  
singulis sectionibus ab Au-  
thore tractantur.

P A R S P R I M A ,  
D E F I D E .

S E C T . I .

- Avtor, una cum operis hujus occasio-  
ne, quomodo & ad nostram, & ad  
alias Religionis affectus sit, ostendit.  
2. Religionis reformatio necessitas, & oc-  
casio.  
3. Suam cuique Religionem examinan-  
dam esse. Nos & Pontificios quid in-  
tersit. Quomodo ad Ceremonias, &  
Religionem Pontificiam Author af-  
fectus sit.  
4. De Reformatione in genere.  
5. De Ecclesia Anglicana. De Adiapho-  
ris.  
6. De controversiis & dubitationibus in  
iis, qua ad Religionem spectant. De  
Heresi in genere. Hereses tres, qui-  
bus olim Author implicitus.  
7. De Religionum dissidiis, & controver-  
sia.  
8. 9. De mysteriis & subtilitatibus Theolo-  
gicis. De Fide.

10. De

10. De Deo, & ejus Attributis. De Æter-  
nitate & Prædestinatione.  
11. De Trinitate. De Mundo invisibili.  
12. 13. De Sapientia Divina, eademque  
contemplanda.  
14. De Divino in rebus creandis artificio.  
15. De Natura, & Theologia naturali.  
16. 17. De Providentia Divina, & Fortuna.  
18. De Demonis artificio circa Atheismum.  
19. Nullus esse Atheos.  
20. 21. Curiositatem in divinis periculo-  
sam esse. Subtilitates quadam Theo-  
logicae.  
22. De Scripturis sacris. De Alcorano.  
23. De Librorum multitudine.  
24. 25. De omnibus in gregem unum con-  
gregandis. De persecutione, & Mar-  
tyrio.  
26. De Miraculis.  
27. De Miraculis & Reliquiis Pontificiis.  
28. De Oraculorum cessatione.  
29. De Spiritibus, & magis.  
30. De Magia naturali.  
31. De Anima Mundi.  
32. De Genii, & Spirituum natura.  
33. Homo Animal amphibium, & vero  
nomine Microcosmus.  
34. Spirituum locus. Creationis finis. Mun-  
di unitas.  
35. De Creatione Hominis. De Anima hu-  
mana,

- HAYKOB LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF PENNSYLVANIA
- mana, ejusque productione : An ex  
traduce ?
36. De corpore humano. De manibus &  
spectris.
37. De Morte contemnenda.
38. 39. Humana natura historia.
40. De Memoria post mortem colenda.
41. 42. 43. De Vita longa, ejusque incom-  
modis.
44. De excidio Mundano.
45. De Vaticinis idem prædicentibus.
46. De Extremo Iudicio.
47. De Resurrectione, ejusque modo.
48. De Cœlo.
49. 50. 51. De Inferno.
52. De vita hujus afflictionibus.
53. An extra Ecclesiam salus ?
54. De Philosophorum antiquorum vitiis.
55. 56. 57. De Ecclesiæ finibus, & Servan-  
dorum numero.
58. De Salutis certitudine.
59. De Salute per Fidem solum consequenda.

---

PARS SECUNDA,  
DE CHARITATE.

SECT. I.

DE Sympathia & Antipathia. De Odii  
objeto.

2. De

2. De Beneficentia in Pauperes. Digress.  
de Physiognomia.
3. De Charitatis speciebus. De Charitate  
in aliis docendis, in disputationibus,  
in Historiis conscribendis adhibenda.
4. De eadem in aliis judicandis, & corri-  
piendis.
5. In alienis miseriis, & agritudinibus  
consolandi; in amicitia colenda.
6. De Amore & Amicitia.
7. De contemptu sui: & inimicis diligen-  
dis.
8. De Superbia. De Scientiarum & sa-  
cientia studio.
9. De Conjugio. Digress. de Pulchritudi-  
ne & Musica.
10. De Conversatione cum aliis.
11. 12. De Somno & Insomniis.
13. De Avaritia, Liberalitate, & Benesi-  
centia in pauperes.
14. De Pietate erga Deum, erga Parentes,  
erga Vxorem & Liberos.
15. De Felicitate mundana.

FINIS.

20449

4-6248

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА